



OLDENDORP, JOHANNES

**Topicorum legalium, hoc  
est, locorum seu notarum, ex  
quibus argumenta et rationes  
legitime probandi sumuntur**

Infractorum item adversus vitiosas  
argumentationes, exactissima traditio


Apud Seb. Gryphium Gryphius, Sebastian  
Lugduni Lyon  
1555

**eod** | [books2ebooks.eu](http://books2ebooks.eu)

digitalisiert an der  
Universitätsbibliothek  
Wien

digitised at Vienna  
University Library

# books2ebooks – Millions of books just a mouse click away!



European libraries are hosting millions of books from the 15th to the 20th century. All these books have now become available as eBooks – just a mouse click away. Search the online catalogue of a library from the eBooks on Demand (EOD) network and order the book as an eBook from all over the world – 24 hours a day, 7 days a week. The book will be digitised and made accessible to you as an eBook. Pay online with a credit card of your choice and build up your personal digital library!

## What is an EOD eBook?

An EOD eBook is a digitised book delivered in the form of a PDF file. In the advanced version, the file contains the image of the scanned original book as well as the automatically recognised full text. Of course marks, notations and other notes in the margins present in the original volume will also appear in this file.

## How to order an EOD eBook?



Wherever you see this button, you can order eBooks directly from the online catalogue of a library. Just search the catalogue and select the book you need.

A user friendly interface will guide you through the ordering process. You will receive a confirmation e-mail and you will be able to track your order at your personal tracing site.

## How to buy an EOD eBook?

Once the book has been digitised and is ready for downloading you will have several payment options. The most convenient option is to use your credit card and pay via a secure transaction mode. After your payment has been received, you will be able to download the eBook.

# Standard EOD eBook – How to use

You receive one single file in the form of a PDF file. You can browse, print and build up your own collection in a convenient manner.

## Print

Print out the whole book or only some pages.

## Browse

Use the PDF reader and enjoy browsing and zooming with your standard day-to-day-software. There is no need to install other software.


## Build up your own collection

The whole book is comprised in one file. Take the book with you on your portable device and build up your personal digital library.

# Advanced EOD eBook - How to use

## Search & Find

Print out the whole book or only some pages.



With the in-built search feature of your PDF reader, you can browse the book for individual words or part of a word.

Use the binocular symbol in the toolbar or the keyboard shortcut (Ctrl+F) to search for a certain word. "Habsburg" is being searched for in this example. The finding is highlighted.

## **Copy & Paste Text**



Click on the “Select Tool” in the toolbar and select all the text you want to copy within the PDF file. Then open your word processor and paste the copied text there e.g. in Microsoft Word, click on the Edit menu or use the keyboard shortcut (Ctrl+V) in order to Paste the text into your document.

## **Copy & Paste Images**



If you want to copy and paste an image, use the “Snapshot Tool” from the toolbar menu and paste the picture into the designated programme (e.g. word processor or an image processing programme).

## **Terms and Conditions**

With the usage of the EOD service, you accept the Terms and Conditions. EOD provides access to digitized documents strictly for personal, non-commercial purposes.

Terms and Conditions in English: <http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/en/agb.html>

Terms and Conditions in German: <http://books2ebooks.eu/odm/html/ubw/de/agb.html>

## **More eBooks**

More eBooks are available at <http://books2ebooks.eu>

Universitätsbibliothek Wien

I  
246.610 A

M

7

6



1557\*



1. v. 8. 57.  
Vita Causa Mortis  
Ben: à stottingen  
me sibi uendicat


Rem tibi quam uostes apta dimittere  
Fronte capillata est, sed post occasio  
noli. caluus

1 Non.

2. Non.

Author. damnatus est solum cum  
excommunicatione comis permisus

~~V.7~~ — 3




# TOPICORVM LEGALIVM, HOC EST,

Locorum, seu notarum, ex quibus argumenta, & rationes  
legitime probandi sumuntur: Infraeorum item ad-  
uersus uitiosas argumentationes, exactissima traditio.

Per D. IOANNEM OL DENDORPIV M.

En habes hic, candide Lector, ueram artem, non solùm inue-  
niendi, sed etiam iudicandi, quid in omnibus humanorum  
negotiorum quæstionibus & controuersiis rectè definiri,  
quid uitaris oporteat. Vnde tandem intelliges, id quod  
Ulpianus uerbis Celsi, Ius, ait, est ars boni & æqui: hoc est,  
collectio præceptorum ex bono & æquo descendentium.  
Fruere hisce Dei donis ad utilitatē proximi, Et uale recte.



APVD S E B . G R Y P H I V M  
L V G D V N I ,  
1555.

# TOPOGRAPHIA

LEGATI



AD SPATIUM HISTORICUM  
PAGI M  
1770

# PRAEFATIO.



N PHILOSOPHIA ciuili, non potest quicquam dici aut cogitari grauius & utilius, eo apophthegmate, quod Iustinianus Imperator nobis exhibet, Nouell. Detabellionib. Conſt. 44. Quando (inquietus) nihil in rebus humanaſ sit usqueadeo ſemotum ab omni controuerſia, tametſi maximam cum iuſtitia coniunctionem habeat, quod dubitationem & controuerſiam non recipiat, ſi ſubtiliter animi curas intendas.

Rectissime porro perpendit optimus princeps: nihil proſus inter homines ſic poſſe definiri, ut non exquisitiſ ſubiaccat impugnationibus illorum, qui ſuos adfertus preferunt ueritati: & ſacrosanctas quoq; leges utcunq; finitas & certas, errore tamen aut calumnia, ad inexplicabilem ſepe difficultatem detorquent. Vnde Nouella. Quod constitut. que ex adscripti. Conſtit. 54. In quadam (ait) noſtrarum conſtitutionum nihil obscuritatis habente, motæ ſunt quæſtiones ab aliquibus ex studio, & ad ſuam intentionem, obscuritatem ei inducentibus. Etrurſus Nouell. Exempl. ſacr. pragma. for. de uſur. Conſtitut. 160. Ac principio quidem illud cognoscimus, quod pleriq; leges noſtras ita accipiant atq; intelligent: ut unde minimè conueniat, inde iniuſtarum ipliſ actionum anſas præbeant.

Idq; alibi ſepe conqueruntur Imperatores, nec proſuſ eradicari potest hæc zizania. Nam ut ait Vlpianus: Natura rerum inductum eſt, ut plura ſint negotia, a 2 quam

P R A E F A T I O .

quām uocabula. ff. De præscript. uerb. Neque leges, quamlibet multæ, possunt omnes casus quotidie uarijs modis incidentes comprehendere. ff. de legib.l. Omnis definitio. ff. De reg.iur.

In tam magno negotiorum legumq; (ut sic dicam) mundo, amplissima proponitur controuertendi occasio: quam Propter naturalem hominum ad dissentendum facilitatem, omnes amplectuntur sine delectu. Et tandem nimium altercando, ueritas amittitur.l. Item si unus. §. Principaliter. ff. De recept.arbit.

Aduersus hanc perpetuam cauillandi subtilitatem, nullum plane præsidium habent iudices & causarum patroni in foro, nullum professores in scholis nullum deniq; consiliarij principum in aula: nisi ex arte boni & æqui mutuentur. Siquidem (ut & hoc obiter dicam) aulica consultatio nihil est aliud, quām solennis deliberatio negotijs, ad normam iuris & æquitatis exacta. Ad hoc enim consultare oportet, ut fiat id, quod utile ac iustum est: uel ut legitimis remedijis evitetur malum quod imminet, priuatim aut publicè. Quorum neutrum sine legitimis hisce locis recte potest expediri.

Proinde, iuri operam daturum, prius nosse oportet Topicen hanc legalem, hoc est, artem ex legitimis rationibus probandæ ueritatis, & confutandæ cauillationis. Quia studij parte neglecta, etiam si quis omnes iuris codices uerbotenus recitat queat, sepe tamen auditurus est obiurgationem Quinti Mutij, Turpe esse patricio & nobili uiro causas exoranti, ius in quo uersaretur, ignorare, l. ij. §. Saruius autem. ff. De orig. iuris.

Interim omnes iuris & æquitatis studiosos admoneo, ut Iustiniani apophthegmati memores, aduersus utilitatem

gantium

P R A E F A T I O .

gantium cavaillationes, uera hac philosophia se se præmu-  
niant: & potius tam excelso præceptore, quam pœnitent-  
do stultorum magistro. Exitu, se se patientur erudiri.

Quod ad me attinet: ut omnium captui deseruiam, scri-  
pturus sum id, quod è Republica in pace ac tranquillitate  
conseruanda futurum spero. Et nihil tamen minus qua-  
lescumque hasce lucubratiunculas meas, bonorum uirorum  
censuræ libens subiicio.

T O P I C A L E-  
G A L I A .

\*

Q V I D S I T L O C V S .



O M M O D I S S I M U M  
existimo à definitione mutuari  
exordium: ut intelligatur quid sit,  
de quo tractandum fuerit. Locus  
itaque accipitur hic, pro communi  
quadam nota, cuius admonitu, qua-  
tenus aliquid probabile sit, inueniri  
potest. Cicero secundum Aristotelem uocat Topica, quasi  
sedes argumentorum seu rationum, quibus rei dubiae fi-  
dem facere licet. Verba Ciceronis haec sunt: Ut igitur  
carum rerum quæ absconditæ sunt, demonstrato & nota-  
to loco facilis inuentio est: sic cum peruestigare argumen-  
tum aliquod uolumus, locos nosse debemus. Sic enim ap-  
pellatae ab Aristotele sunt hæ quasi sedes e quibus argu-

menta promuntur. Itaque licet definire, locum esse argumenti sedem. Argumentum autem rationem, quæ rei dubiæ faciat fidem. Sicut enim locus uel sedes naturalis, rem quamlibet corporalem continet: ita locus civilis, argumenta seu rationes complectitur, quibus ostendi potest ueritas eius, de quo queritur controuertitur, uel iure uel facto. Eleganti quoque metaphora ab uno loco naturali, ad unum animu motum, utitur Vlpianus in l.j. 6.j. ff. De pact. Nam sicut conuenire dicuntur, qui ex diuersis locis in unum colliguntur & conueniunt: ita qui ex diuersis animi motibus in unum consentiunt, id est, in unam sententiam decurrunt.

Est porro tanta humanorum ingeniorum cognata cæcitas, ut ubi certum non habent præscriptum quod sequantur, ibi statim soleant in errorem decurrere.

Quam fragilitatem qui non agnoscit, is nihil scit, et se ipsum quoq; ignorat: omnia plane diuina atq; humana contemnens testimonia, et simul omnium seculorum exempla. Quamobrem ductu naturalis rationis, et longo rerum usu, constitutæ sunt certæ formulæ, quibus ad probandam demonstrandamq; rem, cuius quæstio uel controuersia incidet, uteremur sine ullo errandi periculo.

Harum autem formularum locos, ceu fontes unde huius riantur, magnæ artis est non inuenire solum, sed inuentos etiam propositæ quæstioni utiliter accommodare.

Non enim semper, nec in omnibus causis, ex eisdem locis eadem argumentorum momenta sunt. Iudicium ergo adhibebit, nec inueniet solum quid dicat, sed etiam expendet, ait Cicero De oratore.

Quocirca diligenter admonendi sumus, hosce locos instar habere Delphici gladij. Ad utrumlibet enim, hoc est,

est, tam ad ueritatis, quam ad calumniæ patrocinium produci solent. Cicero ibidem. Sed ut segetes fœcundæ & uberes, non solum fruges, uerum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus: Sic interdum ex illis locis, aut leuia, aut causis aliena, aut non utilia gignuntur.

*Quis enim uel mediocriter eruditus, non posset adsercionem quantumuis falsam aliqua probationis umbra colorare, si hac locorum copia uoluerit abuti? Aut quotus etiam uir bonus non faciliter hallucinetur in tanta probandi uarietate?*

Vnde constat, artem boni & æqui commune prorsus nihil habere cum arte cauillandi: sicut nec disputatione scholastica uel forensis pertinet ad disputationem sophisticam.

Ars boni & æqui, est collectio præceptorum ad honestatem uitæ pertinentium. Quare Ulpianus uerbis Celsi ius definit, per hanc artem, cuius præcepta sunt, honeste uiuere, alterum non lædere, suum cuique triguere. I.j.in princip. & l.iustitia est ff.de iusti. & iur.

Huic arti deseruit disputatione scholastica & forensis: ut pote, per quam exercemus & profitemur notitiam boni & æqui. Quemadmodum enim ignis in silice latet, nec apparet nisi excutiatur: ita ius in fracti circumstantijs situm non potest intelligi, nisi subtiliter & artificiose ex hisce locis disputatione inuestigetur.

Alsenus. I.si plagis. §. in cliuo. ff. ad leg. Aquil. Dominus pueri consulebat cum quo agere oporteret. Respondi, in causa ius esse positum.

Cicero De oratore, loquens de omni controuersia qua discuptatur, aut sit' ne? aut quid sit? aut quale sit? Hæc igitur quæstio (inquit) a proprijs personis & temporibus,

bus, ad uniuersi generis orationem traducta, appellatur Thesis. In hac Aristoteles adolescentes, non ad philosophorum morem tenuiter differendi, sed ad copiam rhetorum in utranch; partem, ut ornatus & uberius dici possit, exercuit. Itaque locos, (sic enim appellat) quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utraque partem traheretur oratio. Hæc ille.

Formam quoque huius disputationis exhibet nobis uetus schola Socratica, in qua sic obseruabatur: ut cùm alter dixisset quod uellet, alter contradiceret, retenta summa pere modestia. Nam in hoc tantum differebant, quò magis ex diuersis per contradictionem simul collatis, ipsa tandem ueritas inueniretur.

Cicero De finibus bonorum & malorum, lib. j. Quam obrem(ait) differentium inter se reprehensiones, non sunt uituperandæ: maledicta, contumeliæ, tum iracundiæ, contentiones, concertationesq; in disputando pertinaces, indignæ philosophia mihi uidentur. Et paulò post: Neque disputationi sine reprehensione, nec cum iracundia aut pertinacia rectè disputationi potest. Quibus accedit. l. quisquis C. de postulan.

Forensis autem disputationis, ad quem Consultatio quoque pertinet, exempla totum ius ciuile ostendit infinita. Nam cùm talis disputatione secundum artem boni, & æqui colligitur in præcepta omnibus modis certa & finita: tunc dicitur ius, humanam uitam constituens. Et ex diuerso, cùm arte ac disputatione forensi contemplata, uagi tantum affectus regnant: tunc Vis appellatur, immāinem reddens uitam: ut eleganter probat Cicero Pro. P. Sestio.

Pomponius. l.ij. ff. De orig.iur. His legibus latis cœpit

pit (ut naturaliter euenire solet) ut interpretatio desideraret prudentium autoritatē, necessariamq; disputationē fori. Hæc disputatio & hoc ius, quod sine scripto uenit, compositum à prudētibus, propria parte aliqua non appellatur, ut cæteræ partes iuris suis nominibus designantur: sed communi nomine appellatur Ius ciuile.

Ecce, disputationem fori nuncupat Ius, sicut Vlpianus secundum Celsum, artem boni & æqui, Hinc Vlpianus quoq; formam disceptandi in iudicio, per quam ius litigantium investigatur, appellat Subtilitatem, quasi non carentem legitimo artificio. l. si fuerit. s. plane. ff. de rebus dub. Sin autem hoc incertum est, nec potest per iudicariam subtilitatem manifestari.

Ars uero cauillandi, quam Græci Σόφισμα appellant, hæc est, ut ab euidenter ueris, per breuissimas mutationes disputatione ad ea, quæ euidenter falsa sunt, perducatur. l. natura. ff. de uerbo significat. l. ea est natura. ff. de reg. iuris.

Σόφισμα, hoc est, Commentum cauillatorium, redē descripscris frustrationem ac fascinationem quandam esse coloratam & subtilem, per quam suadetur falsitas pro ueritate. Cuius exemplum est in l. qui quadringenta ff. ad leg. Falcid. Cicero, Fallaces conclusiunculas, appellat contorta & aculeata sophismata, Academ. quæstion. libr. 4. Certe cauillationes contra naturam ueræ artis, de qua superius dictum est, ui quadam adfectus contorqueri solent: & aculeos habent admodum uenenatos, quibus pungunt ueritatem.

Huic malæ arti subseruire solent insidiæ uerborum & uitiosæ subtilitates. Iustinianus Instit. de fideicom. hære-

*ditat. in fin.* Quod si is, à quo relictum dicitur, postquam negauerit, confiteatur quidem aliquid à se relictum, sed ad legis subtilitatem recurrat: omnino soluere cogendus est.

*Vlpianus ff. de uerb. sign.* Si quis, cùm aliter eum conuenisset obligari, aliter per machinationem obligatus est: erit quidem subtilitate iuris obstritus, sed dolí mali exceptione uti potest.

*Iustinianus l. si quis hæredem. C. de instit. uel substitutio.* Ne dum nimia utimur circa huiusmodi sensus subtilitate, iudicia testantium defraudentur. *Idem l. Sancimus. C. de senatuscon. Trebell.* Ne dum nimia subtilitate utimur circa res pupillares: ipsa subtilitas ad perniciem eorum reuertatur.

*Constantinus C. de iuris formul. & impetra.* Iuris formulæ aucupatione syllabarum insidiantes, cunctis actibus radicitus amputentur.

*Martianus l. sicut re corporali. §. si debitori. ff. quibus mod. pig. uel hypothe. soluit.* Hæ enim subtilitates, à iudicibus non admittuntur.

*Iustinianus l. ij. C. de conflit. pecun.* Sed ut subtilitati eorum satisfiat, qui non sensum, sed uana nonimum uocabula amplecti desiderant.

Perniciosem hanc subtilitatem, *Iustinianus uocat Superuacaneam obseruationem, Ambages, Scrupulosos circuitus. l. ne in arbitris. C. de recept. arbit.* Et uerè nihil est aliud, quam *Sycophantia*, cuius fit mentio in *l. uerbum. C. de caus. ex quib. infam. irrogat.*

Talis itaq; ars & subtilitas mala, opponitur bonæ arti ac simplicitati. Nam id censetur simpliciter dici & fieri, quod syncera conscientia, & sine captione alterius fit dicitur.

citur. Vlpianus l. ait prætor. §. si quis particeps. ff. quæ in f. aud. credit. Alias autem qui scit aliquem creditores habere, si cum eo contrahat simpliciter sine fraudis conscientia non uidetur hac actione teneri. Idem l. j. in prin ff. de dol. mal. Ne uel illis malitia sua sit lucrosa, uel istis simplicitas damnoſa.

Hoc sensu dicit Imperator: Simplicitatem legibus amicam esse. Instit. de fideicom. hæreditat. §. sed quia stipulatiōnes. Et, de legit. adgna. successio. §. & hæc quidem lex.

Quam ob rem hanc Topicen, hoc est, Artem ex legitimis locis ratiocinandi, sic tractabo, ut in utraque partem possis, tam ea quæ uerē adseris adprobare, quam ea, quæ falso obijciuntur confutare: simul etiam discernere iustas argumentationes à uitiosis. Ne sub imagine falsarum probationum obscuretur ueritas. Argu. l. filio quem pater. ff. de liber. & posthu. Et ne sub autoritate iuris scientiæ pernicioſe erretur. l. si seruum stipulatus. §. sequitur uidere. ff. de uerbor. obligat.

Illud quoq; minimè gentium præterire oportet: quod cùm dialectica omnibus planè disciplinis methodum & formulas discernendi uerum à falso suppeditet: profectò iuris prudentiam quoq; uelut instrumentis suis nō mediocriter iuuat. Id quod Iureconsultus ille grauis & eloquēs Iacobus Lersnerus Oratione sua, quam pro dignitate iuris contra Misonomos edidit, optimis rationibus demonstrat. Quæ diserta illius uiri, mihi alioquin amicissimi, disputatio sicut plurimis haud dubiè profuit: ita apud me hunc quoque peperit fructum, ut dialecticas rationandi formulas, & uitiosarum argumentationum infractiones atq; sophismata, diligenter tractando, forensibus exercitijs accommodarem.

Interim

Interim tamen non est mirandum: quod iuris disciplina nonnunquam discrepet a dialecticis præceptionibus. Nam Ius ciuile est, quod neque in totum a naturali uel gentium recedit, neque per omnia ei seruit. ss. de iust. & iur.

Porrò, tam ingens personarum, rerum, locorum, temporisq; uarietas, & negotiorum (ut ita dicam) mundus, non sinit ullam uerborum seruitutem uel angustas obseruationes introduci. Adeò, ut dialecticas quasdam uoces, & formulas, in usu forensi nemo agnoscat, cum tamen res sit eadem. Plerunq; enim Iurisconsulti ex rebus ipsis atq; factis significationem potius mutuantur, quam ex uerbis. l. de quibus, in fin. ff. de legib. l. ij. §. ignominiae causa ff. de his qui notan. inf. l. si tamen, §. ei qui. ff. de edil. edict. & l. repræhendenda. C. de instit. & substit.

Grauiter Julianus. l. si tibi pecuniam. ff. si cert. petat. Sed hæc intelligenda sunt propter subtilitatem uerborum. Benignius tamen est utrumque ualere. Probatur. l. si fundus. §. si pluris. ff. de pignorib. l. si. C. de usuris. l. ij. C. commt. de legat. l. per fundum. ff. de seruitut. rustico. præd. Adi Ciceronem Academic. quæst. libr. 4. Et, De Orato. lib. ij. Ad ea enim probanda in forum accedimus, quæ non aurificis statera, sed quadam populari trutina, & communi hominum sensu examinantur. Certè, qui sacrosanctas leges humana quadam philautia nimis inspicit subtiliter, syncopanta fit.

Summoper è ergo cauendū est circa hanc boni & æquitatem, ne contingat nobis quod Cicero dialecticis euenire dicit, qui ad extremū ipsi se compungunt suis acuminibus: & multa reperiunt, quæ iam non possint ipsi dissoluere. l. qui quadringenta. ff. ad leg. falcid. Tum etiam constat,

hang

hanc topicen inueniendi artem, à studiosis primū omnīus amplectendā esse. Nam ad dialecticas argumentandi formulas frustra recurrit qui nihil adhuc inuentum habet formulis edendum. Quemadmodum prosecto, qui actionem non habet, uel competentem non intelligit, is sine fructu curiosus est de libello scribendo, qui & ipse ad formam pertinet dialecticam.

Quam ob rem Cicero Topica sua exorsus est à reprehensione Stoicorum: Cūm omnis (inquiens) ratio diligens differendi duas habeat partes, unam inueniendi, alteram iudicandi: utriusq; princeps (ut mihi quidem uideatur) Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaborauerūt. Iudicandi enim vias diligenter persecuti sunt, eam scientiam Dialeticen appellant. Inueniendi uero artem, quæ topicē dicitur, quæ ad usum potior erat, & ordine naturæ certe prior, totam reliquerunt. Hactenus ille.

Nos hodie Stoicorum errores sequimur: quandoquidē adolescentes in dialecticis atq; philosophicis disputationibus mediocriter exercemus: Topicen autem in disciplina ciuili, & uerum eius usum omittimus.

Et hactenus de locorum definitione. Antea uero quam ad diuisionem eorum accedamus, operæ premium mihi uidetur, causas propter quas introducti sunt loci, paulò Latius explicare: ut ad praxim forensem felicius accommodentur: utq; interim tam iudices, quam alij percipiant summam huius artis necessitatem,

### EX QVIBVS CAVSIS

& quotuplices sint loci.

**E**x cognata hominum fragilitate proficiuntur, Ignorantia, Error, Mendacium, Simulatio, Differendi

tiendi facilitas, iuxta illud, Omnis homo mendax. Et,  
Prauum est cor hominis. Gen. 6.

Cicero Epist. lib. 1. Multis enim (inquit) simulationum  
in uolucris tegitur & quasi uelis quibusdam obtenditur  
uniuersiusq; natura: frons, oculi, uultus perspè mentiun-  
tur, oratio uero sæpiissimè.

Grauiter admodum Paulus. l. sed & si restituatur, in fi-  
ff. de iudi. Nec rerum naturam intuendam, in qua  
omnia certa essent, cum futura utique fierent: sed  
nostram in scientiam adspici debere.

Promiscue autem accipiuntur in iure Ignorantia, &  
Error. l. iuris ignorantia non prodest. &. l. seq. ff. de iuris  
& facti. ignor. l. error facti. C. eod. tit. l. fi. in fin. ff. pro suo.  
Error enim esse non potest absque ignorantia. Porro, qui  
scit, is non errat. Vnde scientia opponitur errori. l. pen. §.  
sed facti. ff. de iur. & facti ignor.

Quam ob rem Error generaliter appellatur, Ignoran-  
tia, Opinio falsa, Securitas, Suspicio, Lapsus. l. j. §. l. nec su-  
pina. l. pen. §. si quis. ff. eod. tit. l. opinione. C. de usucap. pro  
hæred l. sed si de sua, in fi. ff. de acquir. hæred. Nam in nul-  
lo (ait Ulpianus) hæc suspicio obsuit, id est, Error.

Error itaq; seu ignorantia, est existimatio, qua adpro-  
batur uerum esse, quod falso est: uel falso esse, quod ue-  
rum est: uel incertum pro certo. l. opinione falsa. C. de usuc.  
pro hæred. l. pen. §. qui ignorauit. ff. de iuris & facti igno.

Et est, aut iuris, aut facti. Ut, si quis uiuere credit eum,  
qui iam defunctus est: factum ignorat. Si uero nesciat  
defuncti hæreditatem sibi delatam ab intestato uel ex te-  
stamento: in iure errat. l. j. & l. ij. ff. de iuris & facti ignor.

Facti ignorantia seu error rursus bifariam contingit:  
alias circa factum proprium: alias circa alienum. l. pluri-  
mum

num interest. ff. de iur. & fact. ignor.

Proprijs facti error non præsumitur, nec excusat in eo, quod omnes scire solent. l. fin. C. de hæred. instit. dum dicit: Neque enim sic homo supinus, imò magis stultus inuenitur, ut suum nomen ignoret. Nisi antiquum sit, uel ualde intricatum, quod obliuionem producit probabilem: quando tractatur de damno euitando. l. si id quod. & l. peregrē. in princ. ff. de acquir. posse. l. emptor. §. Lucius Titius. ff. de pact. l. qui fundum. §. seruus meus. ff. pro emptor. Et ibi Bart.

Alieni facti error præsumitur & excusat: quoniam plerunq; etiam prudentissimos fallit. l. ij. ff. de iur. & fact. ignor. l. sed & si quis. §. ff. si quis caut. Et ibi Bart.

Admodum igitur caute discernenda est quæstio facti à quæstione iuris, ne alterum accipiatur pro altero.

Rursus error facti siue proprij, siue alieni, aliás censetur iustus & tolerabilis, aliás uero iniustus & reprehensibilis. Iusta ignorantia est, cui nulla potest obijci culpa, cur non inuestigauerit ueritatem. l. de æstate. §. interdū ff. de interrog. l. si putator, in fin. ff. ad leg. Aquil. Paulus, Nam culpa ab eo exigenda non est, cum diuinare nō potuerit, an per eū locū aliquis transiturus sit.

Iniusta ignorantia est cius, qui reprehendi potest ob culpam seu negligentiam leuiorem inquirendæ ueritatis. l. de æstate. §. qui iusto ff. de interrog. Multo magis si latior culpa interuenerit, quæ supinam facit ignorantiam, affinē mendacio & simulationi. Ut, si quis ignoret id, quod omnes in ciuitate sciunt. l. nec supina, & l. penult. §. sed & facti. ff. de iur. & fact. ignor.

Iuris item error est duplex: Aliás enim erratur in iure constituto, quod omnibus communiter promulgatum est.

Aliás

Alias in iure proprio, hoc est, quod in sua quispiam habet causa. l.j. §.j. ff. quæ senten. sine appell. rescind.

Iuris certe naturalis ignorantia neminem excusat mentis compotem. l.j. l.ij. & l.iustitia est. §.j. ff. de iusti. & iur. l.j. in prin. ff. quod quisq; iuris. l.iure naturæ. ff. de regu. iuris. Distinct. xxxvij. c. pen. & c. fin. ubi Paulus allegatur. j. Corinth. xiiij.

Iuris item ciuilis ex scripto uel non scripto communis ignorantia, regulariter nocet omnibus : quoniam uidetur adfectata. Arg. l.illicitas. §. & ne tenuis. ff. de offi. præsid. l.si putator, in prin. l. Idem iuris. ff. adleg. Aquil.

Excipiuntur milites propter imperitiam : Foeminæ, propter sexus imbecillitatem : Minores, propter defectum ætatis. l.pen. in prin. Et. §. si filius fa. ff. de iur. & fact. igno. l.j. C.cod. tit. Maiores tamen omnes à dolo malo iuris error excusat, & facit censeri culpam leuiorem nonnunquam. l si quis id quod. §. doli mali. ff. de iuris d. l.j. §. si publicanus. ff. ui bonor. rap. l.j. in fi. ff. de abige.

Proprij deniq; iuris error non facile condonatur diligenti ac studioso patrifamilias. l.civn de indebito, in princ. ff. de probat. Paulus. Qui enim soluit, nunquam ita resupinus est ut facile suas pecunias iactet, & indebitas effundat : & maximè si ipse, qui indebitè dedisse dicitur, homo diligens est & studiosus patrifamilias, cuius personam incredibile est in eo aliquo facile errasse. Iuris tamen proprij alia quadam ratione facit mentionem idem Paulus in l.Seia fundos. ff. de euictio. Opponit enim iuri hæreditario. Iure quidem proprio, non hæreditario.

Ignorantiae seu errori, adfinis est dubitatio : Nam & is qui dubitat plerunq; pro ignorantie habetur. l. fin. C.de condi.

condi.indebit.l.manifestissimi.¶.fin autem nescius & dubitans.C.de furt.l.si fuerit.ff.de reb.dubi.l.in tempus.¶.quoties.ff.de heredib.instit. Qua ratione etiam id quod non adparet, uel incertum est, perinde reputatur atque si non esset.l.in lege fundi ff.de contrahen.empt.Et paulus.ff.De uerb.signifi.Incertus possessor est quem ignoramus.

Vlpianus.l.de ætate.ff.De interrogat. Nihil interest, neget quis, an taceat interrogatus, an obscurè respondeat, ut incertum dimittat interrogatorem.

Quia inquam autem generali significatione horum uerborum inspecta, ignorantia pro errore accipitur: non pa- rum tamen multum proderit in hac tractatione differen- tiam rerum in speciem non præterire.Discerni enim igno- rantia ab errore potest.

i. Qui ignorat, is non continuò errat: Sed ex diuer- so, Qui errat, is semper ignorat ueritatem.Ignorans enim non existimat se id scire, quod ignorat: sed errans putat se scire, cùm tamen nesciat.Distin xxxvij.c.quamuis.

ii. Errans procedit ad actionem' externam, dicens aut faciens aliquid falso. At ignorantia potest etiam intra men- tem latèrē, nec progredi ad actionem.d. c. quamvis erra- re, in fine.

iii. Errari non potest in eo, quod uerum est: Nam tunc substantia erroris deficit. Ignorari uero potest tam id, quod uerum est, quam quod falso est.

iv. Errans habet consensum & uoluntatem in eo, quod dicit aut facit: sed impropiè, quia non regitur uero animi iudicio: & reuocabiliter, quia deficit scientia. Sic conciliare oportet leges prima fronte pugnantes, uidelicet.l.j.¶.si legatarius ff.ad leg.falcid.l.ad probationem.C. locat. & conduct.l.ij.ff.de confess.l.si per errorem.ff. de

iurisdict. l. iij. in prin. ff. de iudicijs. l. nihil consensui. §. fin. ff.  
de reg. iuris.

Mendacium deniq; ac Simulatio tam longo distant in-  
tervallo ab errore & ignorantia, quam fragilitas à mali-  
cia. Sc̄euola. Respondi. Si errore potius (quod se pro  
iure trium liberorum, quod allegabat, excusatum  
crediderit) quam malicia ab administratione ces-  
sasset, utilem actionem dandam.

Ex duplice rursus Ignorantia, Errore, Dubitatione, &  
Malicia, duplex quæstio & controvèrsia in omni nego-  
cio potest excitari per aduersarium. Aut enim queritur  
de aliquo facto, uel circumstantijs eius. Aut si factum utrin-  
que sit in confessio, disceptatur, an iure factum sit?

Longè, profectò, refert aliquid factum esse, & iure uel  
iniuria factum. Lex multa præcipit & certa forma uult  
fieri: pleraq; uetat ullo modo fieri: reliqua permittit ar-  
bitrio hominum. l. legis uirtus. l. contra legem. & l. seq. ff.  
de legib. Dinstinct. iij. c. priuilegi. a. §. officium. & c. seq.

Itaque ut maxime constet, quid uel qualiter factum sit:  
manet tamen quæstio, utrum contra, an secundum legis  
ordinationem factum sit? Et ex diuerso: Etiam si omnes  
iuris libros, omnes item commentarios perlegas: queren-  
dum tamen superest de facto quod nunc incidit. Paulus ff.  
de testamen. tutel. Duo sunt Titij, Pater, & filius. Da-  
tus est tutor Titius, nec appetet de quo sensit testa-  
tor. Quæro quid iuris sit? Respondi: Is datus est,  
quem dare testator sensit. Si id non appetet, ius  
non deficit, sed probatio.

Ecc, in hoc themate, hoc est, positione facti, non dubi-  
tatur de iure, utrum ualeat datio tutoris? uel, an Titius  
possit esse tutor? sed facti controvèrsia est: uter scilicet  
Titius

**Titius fuerit tutor designatus?**

Eleganter Cicero pro Milone. Illud iam (inquit) in iudicium uenit, non, occisus ne sit, quod fatemur: sed iure, an iniuria? quod multis antea in causis iam quæsumum est. Insidias factas esse constat. Et id est, quod Senatus contra Rem publicam factum esse iudicauit. Ab utro factæ sint, incertum est. De hoc igitur latum est, ut quereretur. Ita & Senatus rem, non hominem notauit: & Pompeius de iure, non de facto quæstionem tulit. Num quid igitur aliud in iudicium uenit, nisi uter utri insidias fecerit? Profecto nihil. Si hic illi, ut ne sit impune: si ille huic, tum nos scelere soluamur. Et paulò inferius. Facti enim in eculeo quæstio est, iuris in iudicio. Quod igitur in causa querendum est, id agamus: quod in tormentis inuenire uis, id fatemur.

Vlpianus. I. Eum quem temerè. § j ff. de iudi. Iudicibus de iure dubitantibus, præsides respondere solent: sed de facto consulentibus, non debent præsides consilium impartire. Idem. I. Idem erit. ff. de stat. hom. Quæstio ergo facti potius est, non iuris.

Huc pertinent clausulæ frequentes apud iurisconsultos: Facti quæstio est, I. insulam tibi. ff. qui potio. in pig. hab. I. sicut re corporali. §. sed si permiserit. & §. si debitor. ff. quib. mod. pig. uel hypo soluit. Paulus, Hæc disceptatio in factum constitit, Hoc est, Refertur, firmat se in circumstantias facti.

Est autem hoc uerbum Constitit familiare iureconsultis. I. & per iusurandum. §. cum qui fundum. ff. de acceptilat. I. officium regentis, in prin. ff. de re milita. I. si is qui duas. ff. de seruit. leg. at. I. j. ff. ad leg. Iuli. de anno. Quoties enim queritur aut dubitatur de facto, toties potest uarijs

modis ex iure responderi secundum qualitatem casus. Si-  
quidem non antea firmare in speciem licet iuris definitio-  
nem, quām firmata sit facti species sicut inciderit, cum cir-  
cūstantijs suis.

In omni sane negotio quæstionem facti oportet esse prio-  
rem quæstione iuris. Et qui in facto errat, is non potest in  
iure non errare. Nam in causa, hoc est, in facto & circun-  
stantijs eius, ius est positum, ut dicit Alsenus. l. si plagis. §.  
in cliuo. ff. ad leg. aquil.

Siquidem per rerum naturam impossibile est scire, utru  
aliquid iure, an iniuria factum sit: nisi prius ad amissim  
intelligatur totius facti series. Veluti, Causa, quare aliquid  
factum sit: Persona, quis, & cùm quo fecerit: Locus, ubi  
factum sit: Tempus, quando factum fuerit: quantitas, ma-  
gnūmne an exile sit: qualitas, quomodo factum sit: even-  
tus, an metu, ui, errore, dolo malo, culpa, casu fortuito fa-  
ctum sit. Quas circumstantias eleganter tractat Claudio  
Saturnius in. l. aut facta. ff. de pœnis.

Paulus. l. Pomponius. libro uicesimo sexto. ff. Nego. gest.  
Hic enim, quasi plura negotia gesta sint, pro qua-  
litate personarum & actio formatur, & con-  
demnatio moderatur.

Vlpianus. l. nonnunquam autem. ff. de iudi. Hoc autem  
æstimare oportet eum, qui ius dixit, pro conditio-  
ne causæ, uel personæ, uel temporis: & ita ordi-  
nem edictorum, & compendium moderari.

Idem. l. iusiurandum & ad pecunias. ff. De iure iuriand.  
Non semper autem consonans est, per omnia re-  
ferri iusiurandum, quale defertur, forsitan ex di-  
uersitate rerum uel personarum quibusdam emer-  
gentibus, quæ uarietatem inducunt.

Cum

Cum itaque cognita fuerit & probata facti series, tunc erit ad investigationem & probationem iuris procedendum, locis ad quamlibet questionem explicandam deservientibus, quales infra tractabuntur.

Interim meminisse oportet, errare illos tota via, qui simul atque casum seu speciem facti audiunt, uel ex scripto legunt: statim ad investigationem iuris se se conuertunt, nihil de statu causae, uel de circumstantijs eius, multò minus de modo probandi perpendentes: unde magis tandem & quasi desultorijs cogitationibus suis, tanquam in labyrintho sine exitu huc atq; illuc uersantur.

Vbi iam ex ignorantia, errore, uel malicia peruentum fuerit ad quæstionem, controuersiam, uel dubitationem iuris uel facti, tunc ipsa rerum necessitas dictat, ut duplicum habeamus exitum probandæ ueritatis aut in iure aut in facto. Probatio autem sine his locis nulla potest esse legitima. Ergo sequitur, duplices quoq; locos esse, alios uidelicet unde factum, alios unde ius probari possit.

Loci autem facti non inconcinnè dicuntur Externi, Loci iuris uocantur Interni.

Externi loci sunt, qui extrinsecus adsumuntur ad effe-ctum probandi facti. Ut ecce: Si quæstio incidat: An conuentio facta sit? Vel, an delictum sit admissum? Aut si de aliquibus negotijs circumstantijs controuertatur: certè in ipsa causa nihil est, quod ad ueritatem facti possit allegari. Semper enim repeteretur idem principium, Scilicet, Verum est, quia sic factum, dictum, conuentum est. Oportet igitur ad externum aliquod adminiculum configere, quo rei dubiæ fiat fides. Vtpote, Verum est, quia testes dixerunt, instrumentum recitatum est. Eleganter Cicero: Foris autem (ait) adsumuntur ea, quæ non sua ui, sed ex-

trance subleuantur. Ut hæc: Hoc uerum est, dixit enim Quintus Luctatius: Hoc falso est, habita enim quæstio est. Hoc sequi necesse est, recito enim tabulas.

Interni uero loci sunt, qui in ipsa quæ controuertitur causa, effectum suum habent probandi, sit' ne aliquid recte factum uel dictum. Et propterea ex his locis recte colligi non potest, nisi per artem & arbitratum boni uiri.

Oportet enim constantem illam & perpetuam uoluntatem ius suum cuiq; tribuendi adhibere, per quam exigitur quæstio uel causa ad normam æquitatis. Et tum quod tali arbitratu atq; uoluntatis censura huiusmodi locis colligitur, id uerum ius est, & ars boni & æqui.

Hæc nobis suppeditat uera iuris prudentia & philosophia non simulata, cuius fit mentio in l.j. ff. de iusti. & iur. Nouell. Ut omnes prouincia. magist. in prin. Conſti lxvij.

Ut ecce, Papinianus erroris redarguit Magistratus, qui publici iudicij exercitionem paſsim mandant. Huius rei fortissimum argumentum est, quod lege Iulia de ui, nominatim cauetur, ut is cui obtigit exercitio, possit eam, si proficiscatur, mandare. Non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse coepit: cum aliâs iurisdictio etiam à præsente mandetur. l.j. ff. de offic. eius cui mandat. est iurisdi.

Obserua quomodo Papinianus probationem iuris collegerit arbitratu boni uiri. Primum inspexit qualitatem mandantis, cuius personam ob ſpecialem industriam ad hoc munus lex destinauit. Deinde, conditionem exercitionis considerauit, ut quæ in publico de uita hominis iudicio plena est periculorum ac grauaminum, si ab ignauo tractetur. Denique, mentem legis perpendit, quæ ob necessariam absentia causam permittit mandari exercitionem publici

publici iudicij, quo casu aliter fieri non potest.

His tum omnibus perpensis, adhibuit locum à contrarijs, seu (ut uulgò dicunt) à cōtrario sensu: & per hunc definiuit exercitionem publici iudicij, à præsente non recte mandari. Vidēn' s quid locus à contrarijs fecerit in ipsa mandandæ exercitionis causa? Et quē nam sit ars boni & æqui circa talem probationem adhibita?

Quid si aliquis sophista ad propositam quæstionem alios torsisset locos. Puta, nihil referre, utrum per se quis, an per alium faciat: nec quicquam interesse, quomodo res fiat, modò tamē expediatur & inde conclusisset: exercitionem publici iudicij, etiam à præsente posse mandari? Certè, huiusmodi probatio prorsus est falsa, si eam ad artem boni & æqui exigas iusto arbitratu. Admonendi autem sumus, quod una eademq; definitio apud iurisconsultos sēpe complectitur duos aut plures locos iuris, quorum tamen quisq; sufficeret ad probationem legitimam.

Paulus in l.ij. ff. Si cer. pe. Appellata est autem mutuī datio ab eo, quod de meo tuum fiat. Et ideo si de meo tuum non fiat, non nascitur obligatio. Duobus locis probat contractum mutui, uidelicet, ab etymologia, & à consequenti negatiuē, ut suo dicetur ordine latius.

Quæstio item iuris est, Vtrum actio Publiciana detur aduersus dominum rei litigios.e? Respondit Neratius, non dari: Eiusq; rei argumentum est primò æquitas, deinde exceptio. Si ea res possessoris non sit.

Duo sunt loci, Alter ab æquitate, que non patitur, domino rem suam auferri inuito, & sine legitima causa. l. id quod nostrum. ff. dc regulis iuris. Alter ab autoritate, per quam data est exceptio.

Grauiter Modestinus, l. scire etiam oportet. §. sufficit au-  
b      &      tem.

tem. ff. de excusa.tut. Cuius fidem tametsi sufficit firmare ex ipsa naturali iustitia: est tamen & constitutio Imperatorum Seueri & Antonini, hæc dicens. Cicero pro Milone: Sin hoc(ait) & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa prescripsit: ut omnem semper uim, quacunq; ope possent, à corpore, à capite, à uita sua propulsarent: non potestis hoc facinus improbum iudicare, quin simul iudicetis, omnibus, qui latrones occiderint, aut illorum telis, aut uestris sententijs esse pereundum.

Ecce, multi sunt iuris loci: à ratione, à necessitate, à more, à natura.

Papinianus. ff. de rit.nupti.l. Diuus Marcus. Idcirco, inquit, cùm hæc omnia in unum concurrant, confirmamus statum liberorum uestrorum in eo matrimonio quæsitorū.

Ex his Sole apparet clarius, toto(ut aiunt) cœlo errare eos, qui in disciplina civili quoq; putant locos externos, & dici & esse inartificiales. Mouet eos, quod Cicero in Topicis: Hæc ergo (inquit) argumentatio, quæ dicitur artis expers, in testimonio posita est. Testimonium autem nunc dicimus, omne quod ab aliqua re externa sumitur ad faciendam fidem. Sed audiamus eundem Ciceronem in partitionibus oratorijs, de locis eisdem externis sic dicentem. Et nec eò dicuntur sine arte, quòd ita sint: sed quòd ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata: tamen arte tractat, maximè in testibus.

Verissime Cicero dicit, in testibus arte requiri. Nam & diuus Adrianus optimus Imperator ait: Tu magis scire potes, quāta fides habenda sit testibus. Et paulò infraius: Sed ex sentētia animi tui te existimare oportere, quid aut credas, aut parū probatū tibi opineris.

Summa

Summa profecto ars est, ex animi & conscientiae iudicio definire, quid & quatenus in controuersijs forensibus sit probatum. Alioquin, si locis externis ars prorsus adimeretur: consequens esset, etiam ius adimi, quod nihil est aliud quam ars boni & aequi. Quo quid absurdius? Nam bona pars iuris circa testimonia uersatur.

Proinde, quod dicit, locos externos inartificiales esse: accipiendum est, nulla eos hominum arte productos. Nam testimium & instrumentorum inuentio, simplex est, & naturae debet accepto ferri, non homini. Quemadmodum ius naturale, nulla arte humana constat, immo, cum hominibus ortum est: & interim tamen uera ars boni & aequi censemur. l. penult. in princ. ff. de iustit. & iur. Instit. de rer. diuisio. §. Singulorum. Ceterum, exerceri in foro non magis possunt externi, quam interni loci sine arte boni & aequi. Quininio, periculo longe maximo probationes factorum temere solent tractari.

### LOCI EXTERNI AD probationem factorum utiles.

A testibus. Ab instrumentis. A iureiurando.  
A comparatione scriptorum. A fama.  
Ab euidentia facti. A confessione propria.  
A tormentis, seu quaestionibus. A coniectura.

### A TESTIBVS.

**T**EStis dicitur, quod tueatur statum cause. Adhiberi enim solent testes, ut uelut boni uiri patrocinium servant ueritati. Nouell. de testib. in princ. Constit. xc.

Multa autem pro testibus, & contra testes dici possunt.

*Arcadius in l.j. ff. de testib.* Testimoniorum usus frequens ac necessarius est, & ab his præcipue exigendus, quorum fides non uacillat.

Vnde testes omni exceptione maiores saltcm duo, faciunt plenam probationem. d.l.j. §. quinquam. Et l. ubi numerus. ff. eo. tit. Matthæi. 18. Si uero te non audierit, adhibe tecum adhuc unū uel duos, ut in ore duorum aut trium testimoniū consistat omne uerbum.

Dicuntur autem testes omni exceptione maiores, quorum persona ex legitima causa non potest eleuari, quiq; communi hominum opinione reputatur boni uiri, etiam si dicta eorum disputatione, quasi non probantia. Et cum ordinationes politicæ de testibus ferè sint prohibitoriae: quilibet censetur idoneus testis, qui nominatim non reprobatur. l.j. in princ. ff. de testib. Arcadius. Et hi quibus non interdicitur testimonium, nec ulla lege à testimonio excusantur. c.j. eod. tit.

Et hinc formula probandi adeo patet, ut non sit opus eam adscribere, sicut in locis iuris exigit necessitas.

Rursus, contra testes multa dicuntur in l.ij. ff. de testib. Callistratus: Testium fides diligenter examinanda est, ideoq; in persona eorum exploranda erunt: In primis conditio cuiusque, utrum quis decurio, an plebeius sit: & an honestæ & inculpatæ uitæ, an uero quis notatus & reprehensibilis: an locuples, uel egens sit, ut lucri causa quid facile admittat: uel an ei inimicus sit, aduersus quem testimonium fert: uel amicus ei, pro quo testimonium dat.

Et cætera id genus multa tractantur, quæ testibus obijci possunt. Iustinianus item Nouella. de testib. in princ. Constat. xc. Plerique enim testimonium dicunt,

non

non in hoc, ut quæ gesta sunt elucecant, sed ut aliquantò etiam obscuriora reddantur.

Illud grauiissime rescripsit optimus Imperator Adrianus : testibus se, non testimonij crediturum. Alia est autoritas præsentium testium : alia testimoniorū, quæ recitari solent. l.ij. §. idem diuus. ff. de testib.

*Qua in re nostri hodie Magistratus errant tota uia, qui paßim mandant alijs examinationem testium : cum id duntaxat de ualeſtudine aduersa, ſenio, uel paupertate domi detentis, aut dignitate claris permiffum fit. l. ad egi- gias. ff. de iureiuran. Nouell. de testib. §. porrò quoniam Scimus. Constit. xc. c. Si qui testium. eod. tit. Tota enim uis cauſæ cognoscendæ conſiftit in probationibus, ad quas testes cum primis pertinēt. Ergo in tanto periculo certe cautiū eft agendum. Argument. l.j. §. Sed & ſi quis. ff. de carbon. edict. Vlpianus : Nam uel magis consulendum eft his, quibus maius periculum intenditur.*

Et Distinct. xlj. c. Quiescamus. Circa maiora maius periculum uertitur.

Refert, Callistratus grauiſſima optimi Imperatoris reſcripta, quibus ſignificare ſolebat, Testibus ſe non teſtimonijs crediturum. Et rursus : Nec teſtes pro- ducebat, ſed teſtimonijs uti uolebat, quibus apud me locus non eft. Nam ipſe eos interrogare ſoleo. Et o dignam bono principe uocem : immo, longe maiorem imperij maieſtate. Alia enim eft autoritas præſentium, alia teſtimoniorum, quæ recitari ſolent. Perpendit enim Imperator inſigni quadā prudentia: nihil, aut parū fidei habere dictū teſtis absentis ab alio deſcriptū: niſi perſonā, uultum et frontem, quam animi ianuā Cicero uocat, magistratus ſeu iudex ipſe diligenter inſpiciat.

Siquidem

Siquidem possunt etiam testes imperitum examinatore fallere, tacendo ueritatē & dissimulando. Florentinus. l. ea quae cōmodandi. ff. de contrah. empt. Dolum malum à se abesse præstare uēditor debet: qui nō tantū in eo est, qui aliquid fallendi causa obscurè loquitur: sed etiam qui insidiosè obscurè dissimulat.

Dicta itaq; testium s̄epe possunt eleuari. Ut pote, quia non simpliciter uisi sint dicere: uel quod unum eundemq; & præmeditatum sermonem attulerint: aut quoniam ad ea, quae interrogabantur, non ex tempore nec uerisimilia responderint. Argumēto eius, quod Cicero dicit: Aequitas enim lucet ipsa per se: dubitatio autem cogitationem significat iniuriæ. Lib. Offic. j. Idem. Sæpè enim ea quae dicta sunt, si aut ambiguè, aut inconstanter, aut incredibiliter dicta sunt, aut etiam alter ab alio dicta, subtiliter reprehenduntur.

Illud autem cum primis dictum testis eleuat: si interrogatus de causa scientiæ suæ, aut nullā reddat, aut ineptā. Nam talis esse debet, ut ex sensu illius corporeo ducta, uerisimiliter confirmet scientiam facti controuersi: ut pote, quia uidit uel audiuit coram l. cum hi. §. Vult igitur. ff. de transact. dum dicit. In primis de causa transactionis. l. solam. C. de testib. l. Hæ enim, in prin. ff. de suspect. tutor. Decreto igitur debebit causa remouendi significari. Nouell. de testib. §. Quapropter. Constitu. xc. ibi. Non uero testimonium solo auditu obiter conceptum, nullam testium præsentiam &c. l. j. C. de epoch. public. Dies, consul, mensis, causa, summa &c.

Hinc infractiones huius loci facilimē colliget studiosus ipse. Nam quæcunque aduersus testis personam uel dicta  
excip

excipiendo (quæ omnia huius instituti non est recitare) proponi possunt: ea locum à testibus frangunt. Quod generaliter de omnibus quoq; sequentibus locis dictum esto.

## AB INSTRUMENTIS.

**S**ignificatio instrumentorum hic ad scripta dunta taxat referenda est, publica uel priuata: non etiam ad alias probandi species. Alioquin, Instrumentorum nomine ea omnia accipienda sunt, quibus causa instrui potest. Et ideo tam testimonia, quam personæ instrumentorum loco habentur, dicit Paulus in. l. j. ff. de fid. instrumento.

Accipienda itaq; hic sunt scripta magistratum. l. Si qua per calumniam. C. de Episc. & cler. Ibi. Literis Episcopi &c. c. Post cessionem. de probat. Item, Tabellionum, quales olim apud Romanos argentarij fuerunt. l. Prætor ait, in princip. ff. de edend. Nouell. Quomo. instrum. quæ apud iud. §. sed & si quis instr. Constit. lxxij.

Libri quoq; & monumenta, quorum publica & perpetua custodia esse solet. l. censu. ff. de probat. Literæ præterea sigillis confirmatae, quarum hodie frequentissimus est usus. l. fideiussor. §. Pater Seij. ff. de pignor. Ibi. Aut signo suo, aut alia scriptura.

Instrumenta deniq; domestica, seu priuatæ adnotatio-nes hic pertinent: quanquam non eandem præstant fidem. Ut chirographa, quæ & autographa dicuntur. l. instrumenta. C. de probat. l. penult. ff. de priuile. credit. Vbi Paulus, Chirographarios creditores appellat: Ciceroni Syngrapha dicitur.

Apochæ & Antapochæ. l. plures apochis. C. de fid. instrum. Est autem Apocha, scriptū quod debitori, qui fidē suam

suam liberat, à creditore de receptis datur, Eyn quitantz.  
 Antapocha, quam debitor creditori facit, uel de annuis  
 præstationibus non perpetuis, uel de beneficijs militaribus  
 quæ feuda uocant, uel de emphyteusi, ne possessor uel hæ-  
 res eius usucapiat perpetuum aut directum titulum, Eyn  
 reuerszal. Contra scribentem enim probant, non pro  
 scribente. l. rationes. Et l. exemplo pern. C. de probat. iun-  
 eta l. chirographis debit. in princ. ff. de administrat. tuto. l.  
 Publia Mænia. §. si ff. deposit. l. generaliter sancimus. C. de  
 non num. pec.

Priuata tamen scripta, si trium testium subscriptione  
 fuerint confirmata, fidem faciunt ad instar publicorum in-  
 strumentorum. l. scripturas. C. qui pot. in pign. hab. Quod  
 in usu forensi magnam potest utilitatem præstare tenuio-  
 ribus, uel ubi tabellionis publici non est copia

Cæterum in negotijs hominum probandis non semper  
 opus est scripto. Fuit enim de his scripture, ut quod  
 actū est per eas facilius probari possit. Et sine his  
 autem ualet, quod actum est, si habeat probatio-  
 nem. l. in re hypothecæ. Et l. seq. ff. de fide instrum.

Iustini. inus, Nouell. l. quomodo instru. quæ apud iud.  
 in prin. Constit. lxxij. Ex quo igitur plus mille fal-  
 sitates hisce temporibus in multis causis, quibus  
 accommodauimus audientiam, deprehendimus.  
 Vnde gloss. in c. cùm à nobis. de testib. recte dicit: non esse  
 uerum, quod scriptum iudicis habens testium subscriptio-  
 nem, non possit reprobari per testes. Quia quantum-  
 cunque authenticum sit instrumentum, potest re-  
 probari. l. cùm precibus. C. de fide instru. c. tertio loco. de  
 probat. c. cùm Ioannes. de fid. instrum. Accedunt l. penul. C.  
 de precib. imper. offe. l. fi. C. si cont. ius uel util. publ. l. fi. C.

de

dē diuersi rescrip. Dum dicit : Sub ea conditione proferri præcepimus : Si preces ueritate nitantur.

Ad infractionem huius loci, illud utiliter accedit : quod imperator noster Augustus Carolus V. cum fratre Ferdinandō Cæsare in Comitijs Augstantis constituit, Anno Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octauo, quod post hac tabellioni in publicis executionibus credendum non sit, niſi in matricula Spirenſi deſcriptus inueniatur.

## A IVREIVR ANDO.

**E** Leganter Caius in l. j. ff. de iureiurando. Maximum remedium expediendarum litium in uenit iurisiurandi religio: quam uel ex pactione ipsorum litigatorum, uel ex autoritate iudicis, deciduntur controuerſiae.

Quin ergo iusiurandum plenam p̄ficit probationem, dubitandum non est. Paulus in l. ij. ff. eo. tit. Iusiurandum speciem continet transactionis: maioremq; habet autoritatem, quam res iudicata. Caius subiicit: Iusiurandum etiam loco solutionis erit.

Vlpianus l. non erit ratum ff. eod. tit. Dato iureiurando, non aliud queritur, quam an iuratum sit; remissa quæſtione, an debeat: quasi satis probatum sit iureiugando.

Vlpianus l. j. ff. qua. rer. actio non dat. Iusiurandum uicem rei iudicatæ obtinet, non immerito: cum ipse quis iudicem aduersarium suum de causa sua fecerit.

Veruntamen, iusiurandum quod neque à litigatore, neque à iudice delatum fuerit, nullam facit fidem pro iurante. Imò ſuſpicionem levitatis ingerit aduersus eum.

Alioq

**A**lioquin (ait Vlpianus) facilissime quis ad iuslurandum decurrens, nemine sibi deferente iuslurandum, oneribus actionum se liberabit.

### A COMPARATIONE literarum.

**E**st autem comparatio literarum, quoties in questione, an aliquis scripserit? adhibetur scriptum eiusdem, cuius nulla dubitatio est quin scripserit: & collatis characteribus seu figuris aut deliniamentis literarum, inuestigatur ueritas, an idem uel alius fuerit scriptor.

Tractatur de comparatione literarum in l. comparationes. C. de fid. instrum. Nouell. quomodo instrum. quæ apud iudic. §. certè si ad unum. Et. §. ceterum si tabellio. Constit. lxxij. Bart. in l. admonendi. ff. de iure iurant. Innocentius in c. j. de fide instrum.

**Q**uam fragilis autem hæc species probandi fuerit aliquando, Iustinianus pulchre demonstrat dict. Const. lxxij. in princ. Videmus tamen, naturam eius crebro desiderare rei examinationem: utpote cum scripturæ dissimilitudinem se penumero tempus (neç enim eodem modo quis adolescens scribat, & in medio ætatis flore positus, & cum iam senio permittitur, forte etiam tremebundus) se penumero etiam morbus ingrauescens efficiat.

### A F A M A .

**R**ecte interpretes separant famam, à rumore: ut maiorem uim habeat probationis adiuuans fama, quam rumor. Fama enim est communis quedam vox & opinio hominum, multo tempore perdurans, alias in bonum,

poena

alias

aliis in malum : à fando scilicet appellata.c.tertio locō. de  
præsumptio. xxxv. q. vj. c. Si duo uiri. Rumor uero est  
particularis sermo in populo, recens natus. Vnde solet sæpe  
contrà ueritatem spargi. Paulus, l. fin. ff. de hæredib. instit.  
Quia tamen falsus rumor non solet obesse. c. super  
eo. de testib.

Habet hunc præcipuum effectum fama: ut alias proba-  
tiones adiunet. Ea enim probatio, quæ consentit famæ: præ-  
ferenda est alijs discrepantibus.l.ij. §. Eiusdem quoque. ff.  
de testib. Alias ueluti consentiens fama, confirmat  
rei de qua quæritur fidem.l.ij. C. de probat.

Cicero describit Famam, quasi multitudinis quoddam  
testimonium. Et cum pro fama, & contra famam dici  
multa possint: non est magni negotij formulam huius loci  
secundum qualitatem casus impugnare.

## AB EVIDENTIA FACTI.

PLenissimam probationem evidentia facti exhibet sen-  
sibus exterioribus.l. Si irruptione, in fin. ff. Fin. regund.  
Et (si ita res exigat) oculis etiam suis subiectis lo-  
cis, ait Vlpianus.l. Si uero. §. Qui pro rei. ff. Qui satisdat.  
cog. Arg. l. j. §. j. ff. de dot. releg. l. Ex empt. §. Idem lib. ij. ff.  
De actio. empt.

Est enim evidentia rei quæ tam aperte appareat, ut nulla  
possit tergiuersatione celari.l. Ea quæ commendandi, in  
prin. ff. de contra. empt. l. Quoniam sororem. C. de iur. de-  
liberan. Et opponitur obscuritati.l. ij. §. ibidem. ff. ad exhib.

Ab hoc itaque loco sumitur probatio: cum ostenditur,  
id, quod sensu corporeo potest omnibus insipientibus ap-  
parere.l. Quæritur. §. fin. ff. de ædil. edict. instit. de gradi-  
bus cognatio. §. fin.

**C**onfessio solennis optima ratione probationem aduersus cum suppeditat, qui confitetur. Paulus in l.j. ff. de confess. Confessus pro iudicato est: quia quodammodo sua sententia damnatur. l.j. C. co. tit. l. si si- ne. ff. de interroga. l. proinde si occisus. §. j. ff. ad leg. Aquil.

Quo magis autem huius loci usus augeretur: introducta est formula articulorum, quibus respondeat aduersarius, ad instar abrogatæ actionis interrogatoriæ. ut in tit. ff. de interrogat.

Falsa tamen confessio potest ob manifestam ueritatem reuocari. Lundè Neratius §. ulti. & l. seq. ff. ad leg. Aquil. Si quis hominem uiuum, falso confiteatur occidisse: & postea paratus sit ostendere, hominem uiuum esse: Iulianus scribit cessare Aquiliam, quamvis confessus sit se occidisse.

Quæ autem requirantur ad confessionem, ut legitimum probandi effectum habeat, utiliter explicat Gloss. in c. fin. de confess. uerbo, Confessus.

### A' T O R M E N T I S seu quæstionibus.

**Q**uestio nihil aliud est, quam tormentum siue cruciatus corporis: ut ex dolore intolerabili ueritatis confessio torqueatur. De qua tractatur in titul. ff & C. de quæstionib. Cicero in Topicis: Facit etiam necessitas fidem, quæ tum à corporibus, tum ab animis nascitur. Nam & uerberibus torti, & igni fatigati quæ dicunt, ea uidetur ueritas ipsa dicere: & quæ à perturbationibus animi sunt, dolore, cupiditate, iracundia, metu, quia necessitatis uim

um habent, adferunt autoritatem & fidem. Cuius generis etiam illa sunt, ex quibus nonnunquam uerum inuenitur: pueritia, somnus, imprudentia, uinolentia, insania. Hæc ille.

Valde autem grauiter Vlpianus in l.j. ff. eodem titul. Questioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam, constitutionibus declaratur. Etenim res est fragilis & periculosa, & quæ ueritatem fallat. Nam pleriq; patientia siue duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi ab eis ueritas nullo modo possit. Alij tanta sunt impatientia, ut quoduis mentiri, quam pati tormenta uelint. Et ita sit, ut etiam uario modo fateantur: & non tantum se, uerum etiam alios criminentur.

Hæc uerba meditare, quæ multa tibi pro quaestione, ac rursus contra quaestionem suppeditant.

A' C O N I E C T V R A,  
seu præsumptione.

**L**Ocus est ad probationem facti ualde commodus, & late patens. Vnde extat tit. ff. de probat. & præsump.

Præsumptio autem seu coniectura, est diuinatio in rebus dubijs, collecta ex circumstantijs frequenter euidentibus. Præsumere enim hic accipitur pro coniicere, diuinare, seu præsigere aliquid in dubio.

Vnde recte hunc locum dixerimus, A' uerisimili aut probabili: hoc est, ab eo, quod ferè solet fieri, non tamen constat fuisse factum. Eam ob rem uulgo quoq; nuncupatur, A' communiter accidentibus. Nam primum, quod uerisimiliter non uidetur credibile, id certe nullam admittit coniecturam. l.cum de indebito, in prin. ff. de probat.

Deinde, de eo, quod finitum est & certum, nullum habet coniectura locum. l. continuus. §. cum ita. ff. de uerb. obli-  
gat. Nouell. de restitu. dota. rer. §. Cæterum quanquam in  
confesso. Constit. xxxix.

Paulus in l. ille aut ille. ff. de legat. iij. Cum in uerbis  
nulla est ambiguitas, non debet admitti uoluntatis  
questio. l. pediculis. §. argento potor. ff. de aur. arg. mund.  
Dum dicit: Non etiam in his, quæ certum est eius  
generis non esse. l. sed si unius. §. Filiofamilias. ff. de iniur.  
l. arbitrio iudicis. §. non tamen semper. ff. de dol. mal.

Hunc autem locum presumptionis Cicero distribuit in  
multa capita, quæ complectuntur ueras causas, ut conie-  
cta teneat & ualida suppeditet argumenta: uidelicet,  
A' more, Ab opinione, A' natura, A' qualitate rei uel per-  
sonæ, A' tempore, A' loco, A' signis & circumstantijs.

### A' M O R E.

**N**E fallaris, diligenter obseruanda est hæc differentia.  
Mos siue consuetudo duplicem exhibit locum. Alterum iuris: quia propter publicum consensum, Ius est non  
scriptum. Instit. de iure natu. genti. & ciuil. §. Ex non scri-  
pto. De hoc infra dicetur. Alterum uero locum facti: re-  
specta duntaxat actuum frequentia, quam unusquisq; præ-  
sumitur imitari. Hinc enim coniectura ducitur facti, quam  
nunc tractamus. Et huiusmodi differentiam in omnibus se-  
quentibus coniiciendi capitibus repetendam esse memen-  
to. Siquidem huiusmodi circumstantiæ, aliâs suppeditant  
probationem facti, aliâs demonstrationem iuris.

Facto deseruiunt, quando loci ex eis ad causam quæ con-  
trouertitur, extrinsecus adhibentur. Ut ex exemplis atq;  
formulis sequentibus apparebit.

Iuri uero & æquitati demonstrationem ac lucem quan-dam adferunt, quoties in ipsa controversia colligitur ex eis ratio ad definiend. in eam. Sic Claudius Saturninus ele-ganter colligit. Ius ex eisdem circumstantijs. l. aut facta pu-niuntur. ff. De poenis. Sed hæc quatuor genera con-sideranda sunt septem modis: Causa, persona, loco, tempore, qualitate, quantitate, euentu.

Populariter solent tales circumstantiae sic proponi. Quis, Quid, Vbi. Quando, Quare, Quomodo scilicet di-ctum, scriptum, factum' ue sit.

Hunc locum appellant à communiter accidentibus: item, à uulgarimodo loquendi. l. iij. §. si uinum. ff. de tritic-uino. Celsus. Et sic loquimur, habere nos amphoras mille, ad mensuram uini referentes.

## F O R M U L A.

I. Ex eo, quod publicè uel priuatim ex more obseruatur, coniici potest legis uel hominis uoluntas. l. si de in-terpretatione. ff. de legib. Optima enim est legum in-terpres consuetudo, ait Paulus.

Idem in l. cùm de lanionis: §. asinam molendinariam. ff. de fundo instruc. uel instru. leg. Optimum ergo esse Pe-diūs ait: non propriam uerborum significationem scrutari: sed in primis quid testator demonstrare uoluerit: deinde, in qua præsumptione sint, qui in quaq; regione commorantur. Præsumptione, hoc est, Quid alij antea facere consueuerint: à p.r.e & sumo. Vt in l.j. de sec. nup. ibi. Deinde, præsumi à fisco iubemus.

Vlpianus, l. librorum. §. quod tamen Cassius. ff. de leg. iij. Nam & in usu plericq; libros, chartas appellant.

II. Quod sæpe fieri solet, id uerisimile est, ut nunc quoq;

credatur factum, siue bene, siue male. l. ait prætor gestum esse. §. quæsumus est. ff. de minor. Et cotidie (ait Vlpianus) prætores eos restituunt ut rursum admittatur licitatio. Idem l. si uero non remunerandi. ff. mandat. Si adolescens luxuriosus mandet tibi, ut pro meretricie fideiubeas, idq; tu sciens mandatum suscepis, non habebis mandati actionem: quia simile est, quasi perdituro pecuniam sciens credideris.

Idem l. certi condicō. §. si numos meos. ff. si cert. petat.

Cum quotidie credituri pecuniam mutuam, ab alio poscamus, ut nostro nomine creditor numeret futuro debitorum nostro. Idem l. certe si interim. in fin. ff. de precar. Cotidie enim precariò rogantur creditores ab his, qui pignori dederunt.

Arrius Menander, l. non omnes. §. à barbaris. ff. de re militar. Sed licet hoc liquido constare non possit, argumentis tamen cognoscendum est. Et si bonus miles ante existimatus fuit, propè est ut ad affirmationi eius credatur. Si emansor aut negligens suorum, aut legnis, aut extra contubernium agens: non credatur ei, si post multum temporis redijt.

III. Qui semel malus fuit, is in eodem genere delicti semper præsumitur malus, iuxta c. semel malus. de regulis iuris. libr. vij. l. capitalium. §. solent quidam. ff. de pœnis. Nonnunquam capite plectendi: scilicet cum sepius seditioni & turbulenter se gesserint, & aliquoties apprehensi tractati clementius in eadem temeritate propositi perseuerauerint.

III I. Ad ea potius debet aptari ius, quæ & frequenter & facile, quam quæ perraro eueniunt. l. iura constitui. & l. seq. ff. de legib.

## A B O P I N I O N E.

**C**ommunis seu vulgaris opinio hic accipienda est. Nam quæ vulgo recepta sunt, ea uim aliquam coniiciendi habere censentur: etiam si incertus autor sit. Quod pertinent omnia adagia, uno ore passim confirmata, propter euidentem ueri experientiam. Nisi enim uera uiderentur omnibus, non durasset perpetuo. Qualia sunt: Vbi amici, ibi opes. Conscientia mille testes. Dulce bellum inexpertis: Parcs cum paribus facile congregantur: Malum consilium consultori pessimum. Et cætera id genus.

Vnde proverbum dictum est, quasi probatum uerbum, quod longa tandem experientia confirmatum fit.

Opinio itaque est existimatio, iudicium, siue persuasio, quam de re quapiam habemus: nihil tamen certò scientes. Nam opinio incerti est, scientia certi. Verum hoc non ita intelligi oportet, quasi cum dubitatione respondere debeat, qui opinionem suam testatur. Referenda enim est opinio ad animum testantis. Id ipsum tamen respondens testari certò debet, quod opinatur.

Sic Iustinianus Institut. de iur. nat. gen. &c. ci. Responsa prudentium, sunt sententiae & opiniones eorum, quibus permisum erat iura condere.

### E X E M P L A.

I. Quod in opinione communi est, id præsumitur uerum. Vlpianus l.j. §.j. ff. de flumen. Flumen à riuo magnitudine discernendum est, aut existimatione circumcolentium. Celsus uerbis Seruij l.j. ab eo ait. ff. de supell. legat. Non enim ex opinionibus singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri debere. Rechè enim colliges, vulgo sic accipitur hoc uerbum: Ergo & in casu controuerso eodem sensu intelligendum est.

II. Quod in proverbiū seu adagium, per ora hominum circumfertur, id coniicitur non esse uanum. *Vlpianus* allegans Imperatorum proverbiālē rescriptum: *Vetus proverbiū est, dūte wārta, dūte wātſore, dūte wāpē wārrwā.* Id est. Necq; omnia, necq; quoquis tempore, necq; ab omnibus. Nam ualde inhumanū est, à nemine accipere: sed passim, uilissimū est: & per omnia, auarissimū. *I. solet etiam. §. non uerò. ff. de offi. proconsul.*

*Celsus, l. si chorus. §. j. ff. de leg. iij.* Et saepe audiūsse se rūsticos senes ita dicentes, Pecuniam sine peculio fragilem esse. Peculium appellantes, quod præsidij causa seponeretur.

*Caius allegat omnium opinionem in l. si seruus. §. si ita stipulatus. ff. de uerb. oblig.*

### A<sup>1</sup> N A T V R A.

**E**X eo, quod natura uel in homine, uel in quibuslibet animalibus, aut rebus insensatis fecit, cōiectura sequitur probabilis, si bene accommodetur. Exemplum exhibit scriptura longē grauiſſimum de Solomone. iij. Reg. iij. c. ij. de præsumpt. Commota enim sunt uiscera alterius mulieris, cùm rex iuberet infantem diuidi. Ex qua commotione sapientiſſimus rex coniiciebat esse matrem: nec certe ſefellit cum præsumptio.

### F O R M U L A.

Natura constitit, ut mentiens ſolcat mutare uultum &c sermonem: Sed *Lucius* testis mutauit colorem in uultu: Ergo *Lucius* in hac cauſa eſt ſuſpectus. *l. de minore. §. plurimum quoque. ff. de quæſitionib.* Dum dicit: Nam & ex sermone, & ex eo, qua quis constantia, qua trepidatione quid diceret &c.

Et

Et præclarè natura, que simulationi sedem in fronte, sermoni in ore dedit: ut conspicuo in loco diu fallere non possent. Fit enim perraro, frons ut ita sermoni subscruiat, aut uerba fronti, quin male conscientia mens quoquo modo prodatur, Teste Cicerone: qui fronte uocat, ianuam animi.

### A' Q VALITATE REI uel personæ.

**Q**ualitatem hic intelligimus, circumstantiam quandam seu conditionem, rebus uel personis accidentem, ex qua plenissime possunt cognosci. A' tali enim circumstantia probabilis coniectura dicitur. Sic & Iuris-consulti sæpe accipiunt Qualitatem. Pomponius, l. cum quid. ff. si cert. pet. Eadem bonitate, uocat id, quod Iustinianus, Eiusdem naturæ & qualitatis appellat, In-stit. quib. mod. re contrahi. obliga. § j.

Arcadius, l. ob carmen. ff. de testib. Si ea rei conditio sit. Et Paulò inferius, Et negotij qualitas ac iudicis motus cum his concurrat.

Vlpianus, l. solet etiā, in fi. ff. de offi. procons. Sed nec xenia producenda sunt ad munerum qualitatem.

### F O R M U L A.

I. Ex his, quæ extrinsecus apparent, coniiciuntur ea, quæ non apparent. instit. de rer. diuis. §. paonum quoque. Reuertendi autem animum uidentur desinere habere, cum reuertendi consuetudinem deseruerint. l. Naturalem quoq;. §. ceruos. ff. de acquiren. rer. dom.

Martianus l. j. §. diuis Adrianus. ff. ad leg. Cornel. de sica. Et ex re constituendum hoc. Nam si gladium strinxerit, & eo percusserit: indubitate occidiendi animo id eum admisisse. Sed si clavi percus-

fit, aut cucuma in rixa : quamuis ferro percusserit, tamen non occidendi animo : leniendam poenam eius, qui in rixa casu magis, quam uoluntate homicidium admiserit. Certe uoluntas, cuius nemo praeter Deum scrutator est, probari non potest, nisi coniectura qualitatis.

II. Personarum conditio & status, parit coniecturam ad discernendum factum. Si enim miles in campo iaculatorio occiderit prætereuntem, præsumitur casu id fecisse: si aliis, non æque. Instit. de leg. Aquil. §. iniuria autem.

Alexander I. Gracchus. C. ad leg. Iul. de adult. Loquens de marito, contra legem Iuliam occidente adulterum: Quamuis homicidium perpetratum sit: tamen quia & nox, & dolor iustus factum eius releuat, in exilium dari potest.

Terentius in Adelph. Duo (ait) cum idem faciunt, saepe ut possis dicere: hoc licet impune huic, illi non licet. Non, quod dissimilis res sit, sed quod is qui facit. Cicero pro Milone, aduersus Clodium: Quonam igitur pacio (inquit) probari potest: insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria belua docere: magnam spem in Milonis morte propositam, magnas utilitates fuisse. Idem pro Roscio: Non ne ipsum caput, & supercilia illa abrasa, olere malitiam & clamore calliditatem uidentur? Num ab imis unguibus usq; ad uerticem summum (si quam coniecturā adfert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallacijs, mēdacijs cōstare uidetur?

Vlpianus ff. quod met. caus. Non est uerisimile compulsum in urbe iniquè indebitum soluisse eum, qui claram dignitatem se habere prætendant.

Scœuola l. fi. ff. de instito. actio. Respondit. Nec iure his

his uerbis obligatum, nec æquitatem conueniendi eum superesse: cùm id ex institoris officio ad fidem mensæ protestandam scripsisset.

*Paulus l.si fundus. ff. soluto matrim. Quia palam fit, eo animo dedisse mulierem fundum, ut is fructus ad maritum pertineat.*

## A' TEMPOR E.

**T**empus est interuallum mundi & motus, à tempore cursu solis & lunæ dictum, autore Varrone: ideoq; uicissitudinem magnam & mutationem rerum mortaliuum adfert. Diuiditur in tempus præsens, præteritum, & futurum: ex quibus partim singulis, partim inter se collatis, uariæ ducuntur coniecturæ.

## F O R M U L A.

I. Multum refert: qua parte anni, quo die, qua hora factum sit: noctu' ne an interdiu. Maliciæ enim fugiunt lucem, autore C H R I S T O. l.si. ff. de rit. nupt.

II. Ex tempore præterito sæpe declarantur præsentia: Et ex diuerso, per præsentia nonnunquam coniunctur præterita. Secundum hoc, Summa est dementia, in eorum fidem sperare, quorum perfidia toties comperta fuerit. l.si cui. §. ijsdem ff. de accusat. Puto non facile admittendum eum, qui semel calumniatus sit.

Qui nunc possidet, antea quoque præsumitur posse disse: & iure potior est petitore. l. ij. ff. uti posside. l. qui adulterij. C. ad leg. Iuli. de adulter. l. quædam sunt, in prin. ff. de reb. dub.

III. Ex præteritis & præsentibus conisci possunt futura. Instit. in præfatio. ibi: Quorum omnium solertiā & legum scientiam &c. l.si quis adulterium. §. j. ff. ad leg.

Iuli.

Iuli.de adult.c. mandata. & c. quanto. de præsumptionib.  
vij.q.j.c. qui crimen intendit. Vnde species ista cum pri-  
mis pertinet ad consultationis materiam, & formam: quæ  
nihil est aliud, quam collatio præteriorum, præsentium,  
& futurorum: ut deliberando tandem id, quod optimum  
est appareat, & malum evitetur, autore D E O. Sic  
enim consulitur humanae cæcitatii. Roman. 4. Genes. 6.  
Psal. 115. l.ij. §. si quid. C.de ueter. iur. enucl. Cicero de  
offi.lib.j.Illud etiam ingenij magni est, (inquit) præcipere  
cogitatione futura, & aliquantò ante constituere, quid ac-  
cidere posse, in utrinq; partem: & quid agendum sit,  
cum quid euenerit: nec committere aliquid, ut aliquando  
dicendum sit, Non putaram.

Consultationis suprà mentionem feci. Repeto autem  
sæpius, ut aliquando Magistratus nostri meminisse dignen-  
tur: nullam huiusmodi functionem, sine consultationibus  
fœliciter expediri.

## A' L O C O.

**L**ocus naturalis est quatenus determinatur, ut quid ibi  
consistat. Vlpianus eleganter locum à fundo separat  
determinatione & adfectione.l.locus. ff. de uerbo signific.  
Est enim sua cuiusq; rei quam continet, quasi sedes. Vnde  
etiam possessio appellata est à sedibus, quasi posi-  
tio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei insistit.  
l.j.in princ. ff. de adquir. poss. Porro cum nulla res cor-  
poralis esse posse, quin continetur: locus appellatur qui  
continet rem, alias maior, alias minor.

## F O R M U L A.

I. Præsens in eodem loco, præsumitur scire quid actū  
sit.l.

fit l. testium. C. de testib. Dum dicit : Sub præsentia sua debitum esse solutum. l. si non speciali. C. de testamen. Nisi tamen naturalis obstat ratio. l. coram Titio. ff. de uerb. signific. l. j. in fi. ff. de autor. tutor.

I I. Creditur quempiam non latere id, quod in loco uicino gestum est. l. si uicinis. C. de nupt. c. quanto. de præsumptionib. Ideoq; rerum immobiliū estimatio, comodiū per uicinos, quām per alios potest probari : quoniam præsumuntur qualitatem scire. l. j. § j. ff. de flumin. l. semper in stipulationib. ff. de regu. iuris.

I I I. Ex loco uicino d. amnum censetur datum. l. si ita testamento, in fi. ff. de fun. instruct. instrum. Nam desiderant tam uillæ quām agri custodiam : illīc, ne quid uicini, aut agri, aut fructuum occupent, &c. Vbi Bart. l. j. C. de locat. & conduct.

Quis autem dicatur locus uicinus : certò definiri non potest, sed arbitrio iudicis relinquitur. c. Præsenti. de præben. & dignita. lib. vij. l. Dies cautioni. §. si tam uicinum. ff. de dāmn. infect. Aliās enim strictius, aliās laxius intelligitur uicinitas. l. Sed & si loci, in fin. ff. Fini. regund. Sed magis uicina dicuntur : & ea communibus parietibus plerunque disternantur. l. si tertius. ff. de aqua plu. arcend. l. j. §. hoc autem senatus cons. ff. de senatusc. Syll.

I I I I. Diuersitas locorum, in quibus non est eadem ratio, arguit diuersitatem rerum. l. j. & l. ij. ff. de offic. procons. Dum dicit : Nisi in ea prouincia &c. l. ideo in arbitrium. ff. de eo, quod cert. loco. Quia scimus, quām uaria sint precia rerum per singulas ciuitates regiones. Cæterū, ubi diuersorum locorum eadem est ratio, ibi euancescit huiusmodi coniectura. Ex differen

differentia enim locorum aliquod induci discri-  
men, satis nobis absurdum uisum est, ait Iustinianus  
l. fi. C. de temporib. in integr. restitu. Instit. de usucaptionib.  
§. & cum hoc placitum. l. j. C. de usucap. transforman. ibi:  
Et sit rebus & locis omnibus similis ordo. Pro-  
batur l. Peregrē profecturus, in princ. ff. de acquir. posseß.  
ibi: Cum supra terram, an infra terram possi-  
deam, nihil interest.

V. Qui potest probare, se quo die aliquid ageba-  
tur abfuisse loco remoto: is necessariò præsumitur  
non interfuisse conuentioni aut delicto. l. optimam. C. de  
contrahen. stipul.

V I. Locus mediis seruitutem impedit adquirendam,  
dominium uero non impedit. l. seruitutes. §. fi. ff. de seruitut.  
l. qui sella. §. fi. ff. de seruit. prædior. rusti. Et ibi annotatur.

V I I. Commoditas loci, suppeditat saepe occasionem  
delinquendi. Vnde dici solet: Tempus & locus faciunt  
furem. Quod accedit ad confirmationem tertij superio-  
ris exempli.

V I I I. Loci uicinitas magna adferre solet tempore  
belli perniciem. Vnde dictum est uerissime, Mantua uae  
miseræ nimium uicina Cremonæ. Et Pöponius in l. ij. §.  
populo deinde aucto. ff. de orig. iur. Cum crebra oriren-  
tur bella, & quædā acriora à finitimis inferrentur.

I X. Bonum' ne an malum habeas uicinum longe re-  
fert ratione loci. l. quod saepe. §. fi. ff. de contrahen. empt. l. fi.  
cui fundus. ff. de leg. at. ij.

### A' S I G N I S.

S igna sunt, quæ sub sensum aliquem extrinsecus cadunt,  
& quiddam nobis insinuant. Ut, Cruor, Fuga, Latita-  
tio,

tio, Pallor, Rubedo, Ensis, & reliqua id genus, quæ peculiarem quandam introducunt suspicionem: quoniam nunquam sunt ociosa in homine, quin aliquid rei significant.

## FORMULA.

I. Officialis ditatus, si res domini possideat sine illius consensu, presumitur eas subtraxisse. tit. de conuent. inter domin. & fide. Hoc ita, nisi clientulus sit castaldus, uel actor domini. Et paulò post: Nam aliquādo malignando, multa bona auferūtur domino hoc modo. l. defensionis facultas. C. de iure fisci. Siquidem con suetudo fraudum, quibus prædicti omnia temera re consueuerunt &c. Nouell. de ecclesiast. canonib. §. interdicimus. Constit. cxxxij.

Ceterū, si aliundē adquisierit bona, ea presumitur iustis habere titulis ex pecunia sua. l. si defunctus. C. arbit. tutel. Nec enim pauperibus industria uel augmentum patrimonij, quod laboribus & multis casibus queritur, interdicendum est. l. iij. §. multa. ff. de iure fis. Dum dicit: Vel ex ratione fisci nomina facta liquidō adprobentur. Tractat innocent. in c. cūm in officijs. de testament. Et xij. q. iiiij. c. si sacerdotes.

II. Eleganter ex hac loci specie probat Cicero in oratione pro Quint. Ligario: cuius fit mentio in l. ij. §. post hos quoq; ff. de orig. iur. Quid enim Tubero, tuus ille. districtus in acie Pharsalica gladius agebat? cuius latus ille mucro petebat? Qui sensus erat armorum tuorum? Quæ tua mens? oculis? manus? ardor animi? Quid cupiebas? Quid optabas? Qua probandi uehementia, scribunt Iulium Cæsarē adeo commotum fuisse, ut sententiam damnandi Ligarij quam manu tenebat, toto corpore excusso statim abiiceret.

Et

Et hactenus de loco à conjectura: quem primum cleudere potes oppositis aliorū locorum probationibus. Vlpianus. l. nō est uerisimile, in prin. ff. quot met. caus. Sed huiusmodi præsumptioni debet apertissimas probationes uiolentiæ opponere. l. fi. C. de probat. Deinde infringitur hæc ratiocinatio à conjectura: si maiore præsumptionem obijcas minori, aut specialem generali. c. litteris. de præsumptionib. l. cùm de indebito, in princ. ff. de prob. l. fi. ff. de hæredib. instituen. l. diuus Antoninus. ff. de in integ. restit. Et generaliter, quæcunq; possunt excipi contra testes, instrumēta, aliasq; probandi species iam explicatas, ea quoq; ad infringendam probationem inde dūctam sunt utilia. Et quando tractatio ista Topicorum per se alioquin uaria, non patiatur digressionem, ut huiusmodi exceptiones sigillatim recenseam: redigi eas omnes in Epitomen, studiose iuuentutis gratia: quo non has solum, sed alias quoq; defensiones in numerato habeant.

### DE PLENA, ET SEMI- plena probatione facti.

**A**dmonendi sumus, quod ex prædictis locis, alias præmuntur plenæ probationes, hoc est, quæ singulæ mouent suo pondere, ac fidem faciunt iudici uel arbitro sufficentem ad dicendam sententiam.

Plenæ probationes sunt:

A<sup>r</sup> duobus uel pluribus testibus.

A<sup>r</sup> instrumentis publicis.

A<sup>r</sup> iureiurando solenniter dclato.

A<sup>r</sup> euidentia facti.

A<sup>r</sup> confessione iudicali.

A<sup>r</sup> iusta & urgente præsumptione.

In his enim probationibus necessariò concluditur, nec potest iudex dubitare. Aliás ex eisdem locis colligitur semiplena probatio, hoc est, per quam rei quidem gestæ fides aliqua sit iudicata: non tamen tanta, ut possit eam sequi solam ad condemnandum uel absoluendum.

I. Vnus testis licet omni exceptione maior, non tamen plenè probat. l.j. in fin. ff. quemadmod. testim. aperian. Dum dicit: Licet aliás suspectæ sient. l. iusurandi. C. de testim. In quibusdam tamen casibus uni testi plenè creditur. Primum propter autoritatem testatoris. l. Theopompus. ff. de dot. relegat. Deinde propter consensum aduersarij. l.j. in prin. ff. quar. rer. acti. non dat. l. ulti. C. de fidei-commis. ibi: Cum ipse sibi iudex & testis inuenitur.

II. Instrumenta priuata non faciunt absolutam probationem, sed semiplenam. Veluti, epistola quam absens absenti mittit. Modo tamen uterque in eam consentiat, hoc est, tam ille qui dedit, quam qui accepit epistolam: alioquin nullius plane censetur effectus. insti. de obligatio. ex consen. Dum dicit: Veluti per epistolam, uel per nuntium. l. quædam mulier. ff. de rei vindica. Libri rationem priuati, de quibus tractatur in l. si quis ex argentarijs. §. j. & §. rationem. ff. de edend. non faciunt plenam fidem.

III. Comparatio literarum, non prestat perfectam probationem: ut suprà diximus.

III. Fama per se parum momenti habet ad probandum, sed uelut auctarium adiuuat alias probationes. gloss. in c. ueniens ad nos. de testim. uerb. illorum. Bart. in l. iij. C. de probationib.

V. Confessio extra judicialis semiplenè probat, teste Bartol. in l. admonendi. ff. de iure iurant. c. fi. de successio. ab intestat.

V I. Tormenta & quæstiones sine legitimis indicijs plenam non exhibent probationem: sed ad extorquendam duntaxat confessionem pertinent. Vlpianus in l.j.in princ. ff. de quæst. Ad tormenta seruorum ita demum ueniri oportet, cùm suspectus est reus, & alijs argumentis ita à probatione amouetur, ut sola confes-  
sio seruorum deesse uideatur.

V II. Præsumptio non ita urgens, sed quæ tamen nō sit prorsus contemnenda, imperfectam facit probationem.

Sed quo nam modo (dices) dinoscetur in causa contro-  
uersa urgens & necessaria præsumptio à leuioribus con-  
iecturis? Respondeo. Qualitas seu circumstantia negotij id  
docebit arbitratu boni uiri. Qualia sunt multa, quæ non  
aliter discerni possunt, quàm si adhibeatur constans illa,  
& perpetua uoluntas, suum cuiq; tribuendi, quæ sola bo-  
num uirum ostendit. l.de accessionibus. ff. de diuers. tempo.  
præscrip. De accessionibus possessionum (inquit Sce-  
uola) nihil in perpetuum, neque generaliter definire  
possimus, consistunt enim in sola æquitate.

Papinianus, l.mora fieri intelligitur, in prin.l. ff. de usu-  
ris. An mora facta intelligatur, necq; constitutio-  
ne ulla, necq; iuris autorum quæstione decidi posse:  
cùm sit magis facti, quàm iuris.

Callistratus, ff. de testib.l.iiij. §. eiusdem quoq; principis.  
Quæ argumenta, ad quem modum probandæ  
cuiq; rei sufficient, nullo certo modo satis definiri  
potest.

Vlpianus in l.quo enim. §.j. ff. rem rat.haber. Loquens  
de spatio temporis mediocri. Hoc autem accipiendum  
ἐπ τῷ ἀλάτῃ, & cum quodam spatio temporis, nec  
minimo, nec maximo. Quod magis intellectu  
perc

percipi, quām elocutione exponi possit.

Talia sunt quae declarantur: non semper, nec tamen nunquām fieri posse: ut sunt exempla in l. solet etiam. §. fin. ff. de offi. procons. l. iij. §. eiusdem quoq; principis. ff. de testi. l. j. §. quæstionis fidem. ff. de quæstionib.

### S I N G V L A R I A D E semiplena probatione.

I. Probatio facti semiplena, quāvis imperfecta sit, nec sufficiat per se ad uictoriam causæ, contemnenda tamen nō est. Nam habet quandoque hunc insignem effectum, ut co ipso censeatur probasse litigator, quod aduersarius non probat contrarium. l. super seruis. C. qui milita. pos. uel non. Licere dominis (inquit Iustinianus) adire competenter iudicem, & suam ignorantiam ed quod contrarium minimè probatur, ostendere. Gloss. in c. j. de his quæ ui metus. caus. Verb. Mortis.

Hunc autem effectum operatur coniectura, quæ pro adserente & negante fidem aliquam introducit. Nam talis præsumptio transfert onus probandi in aduersarium. l. siue possidetis. C. de probat. arg. l. si annua, bima, trima die. ff. de pigno. actio. Alioquin regulariter adserens aliquid, probare debet. Iustum enim est, ut fidem faciat is, qui intendit uerum esse, quod ab aduersario negatur. l. ij. ff. de prob. Lector. C. eo. tit. l. qui accusare. C. de edend. Aliud exemplum huius probationis est. Nam bona fides eo ipso probatur, quod contrarium non docet aduersarius. Teste glos. in l. super longi temporis. C. de long. tempo. præscrip. Ver. Probetur. Quam Barto. & alij sequuntur. Idem definiunt canonū interpres in c. sanctorū. de præscr. Ver. Sincere.

II. Semiplena probatio seu imperfecta, hoc est, faciens aliquid ad causam, minus tamen quam exigitur: dici solet argumentum. Vlpianus, l. Carbonianum. §. duæ. ff. de carb. edic. Vel instrumenta satis idonea ad uictoriam, uel quædam alia argumenta. Talis enim probatio, cum ex eo colligatur, quod non est perpetuum, sed plerunque aliter solet accidere: non potest necessariò concludere, quod in absoluta probatione requiritur. l. Neq; natales. C. de probatio. l. ad probationem. Ibi: Cum siquidem huiusmodi licet probetur factum, intentioni nullum præbet adminiculum.

Vlpianus, l. nam postea quam. §. si minor. ff. de iureiur. Nec enim ut quisq; minor est, statim & circumscriptum se docuit. Facit l. nam hoc. C. unde ui.

III. Duæ, & multò magis plures semiplenæ, uel non absolute probationes, faciunt unam sufficientem siue plenam probationem. Bart. & Iason in l. admonendi. ff. de iureiur. Quemadmodum dicimus, coniecturas multas circa eandem rem uehementer urgere. l. excusantur, in princ. ff. de excusa. tuto.

Iustinianus in præfat. Institut. Iam ex multis rerum argumentis accepimus. l. iij. §. eiusdem quoq; principis. ff. de testib. Ibi: Non utiq; ad unam probationis speciem cognitionem statim alligari debere.

Potest enim iudex inopia probationum, alterutri litigantium deferre iuriandum, aut alijs quibuslibet modis inuestigare ueritatem. l. admonendi. ff. de iureiuran. l. iij. C. de reb. credit.

Et haec tenus de locis externis facti probandi obiter disputatum esse sufficiat. Videamus nunc locos internos iuris demonstrandi.

# LOCI INTERNI

## AD DEMONSTRATIONEM

iuris in quolibet negotio  
deseruientes.

Nomenclaturam horum locorum propterea hic proponendam studioso duxi, ut tractandi methodum obseruans, plenè omnia caperet. Cæterum in fine operis, indicem copiosiorem uidebit, ad usum huiusmodi locorum ualde utillem. Interim capita nunc teneat sequentia.

- Ab autoritate, seu præiudicij.
- Ab utili & honesto. A' necessario.
- Ab impossibili. Ab experientia.
- Ab inconuenienti seu absurdo. A' causa.
- Ab effectu. A' genere. A' specie.
- A' toto. A' partibus. A' definitione.
- Ab etymologia. A' coniugatis seu deriuatis.
- A' connexis. A' correlatiis.
- Ab antecedentibus & consequentibus.
- A' differentibus. A' contrarijs.
- Ab exceptione. A' scripto. A' sententia.
- Ab ordine. A' subiecta materia.
- Ab extremis. Ab exemplis.
- A' comparatione maiorum, minorum, similiū.
- Exempla similiū sunt multa, quæ index adiectus in fine operis exhibebit lectori.

### AB AUTORITATE. seu præiudicij.

**A**VTORITAS est ueneratio seu dignitas quedam, cui meritò credendum sit. Cicero Tuscula. quæstio. lib. j. Autoribus quidem (inquit) ad istam sententiam, quamuis ob-

tinere, uti optimis possumus: quod in omnibus causis & debet & solet valere plurimum.

Ex autoritate nascuntur præiudicia. Præiudicium enim est, quod cum per autoritatem fuerit semel statutum, semper adfert exemplum quod alij sequantur. Quamobrem leges scriptæ, ac non scriptæ, dici possunt præiudicia. Ponunt namq; exempla & formulas, ad quas negotia hominum exigantur, cum in iudicio, tum extra iudicium.

Legis appellatio hic generaliter accipienda est, ut omnes iuris partes comprehendat, inter quas & ipsa consuetudo recensetur. Inst. de iure nat. g. et ciuil. Scriptum autem ius est lex, plebiscitum, senatusconsultum, principum placita, magistratum edicta, responsa prudentium. Ibi: Sine scripto ius uenit, quod usus approbauit. Nam diuturni mores consensu utentium comprobati, legem imitantur. argum. l. j. ff. de adoptionib.

Autoritas est duplex, Necessaria, & Probabilis. Necessariam autoritatem lex habet a deo seu natura: Magistratus a lege, cuius minister est. l. ius ciuile est. ff. de iusti. & iur. l. j. ff. de legib. Romano. xiiij. l. nam & ipsum. ff. de iusti. & iur. digna vox. C. de legib.

Et haec publica est autoritas, cui omnino parendum, nec de ratione disputandum est temere. l. non omnium. ff. de legib.

Probabilis uero autoritas est eorum, qui in publicis Academijs hodie solent insignia & titulum docendi atque respondendi ex iure, studijs suis mereri, iuxta l. j. §. & ut obiter. ff. de orig. iu. Et ideo optimus princeps Adrianus, cum ab eo uiri prætorij peterent, ut sibi licet respondere: rescripsit eis, hoc non peti, sed præstari

stari solere. Et ideo delectari se, si, qui fiduciam sui haberet, populo ad respondendum se præpararet.

Hæc autoritas, quanquam publicè conceditur, effectus tamen publicæ autoritatis non habet. Nempe, quod professoribus creditur: non quia dixerunt, aut scripsérunt: sed quoniam secundum ius & æquitatem responderunt, uel adseruerunt.

Vnde non sequitur, Baldus, Alexander, Speculator, uel alius interpres iuris dicit & scribit: Ergo pro iure tenendum est. Verum ita procedit allegatio: Baldus probat suam adscriptionem legitima ratione: igitur obseruanda est. Quia in re cotidie errant, qui commentatorum dicta pañim pro legibus obtrudunt.

Cicero pro Cecinna: Qui ius ciuile (inquit) contemnendum putat, is uincula refellit, non modò iudiciorum, sed etiam utilitatis uitæq; communis. Qui autem interpres iuris uituperat, de hominibus, non de iure ciuili detrahit. Sin peritis non putat obtemperandum: non homines lœdit, sed leges ac iura labefactat.

## F O R M U L A.

I. Lex ita præcipit, ergo iustum & obseruandum. Lex hoc uetat, ergo iniustum est & fugiendum. Lex sic permittit aut consulit, ergo in arbitrio nostro est facere, aut non facere. l. legis uirtus. ff. de legib. Institut. de iusti. & iur. §. iuris præcepta. Liustitia. §. j. ff. eo. tit.

In hac specie duplex est obseruatio, uidelicet rationis & uoluntatis. Vbi enim ratio legis expressim uel tacite colligi potest, ibi non est ab ea recedendum. Siquidem ratio legis est ipsa lex, sicut ratio consuetudinis est consuetudo. l. contra legem. & l. sequen. ff. de legibus. l. qui testamento. §. mulier. ff. qui testament. facere. l. His solis.

C.de reuocan.donationib. Ibi : Satis etiam tacitè cautum putam̄.

Vbi uero non apparet ratio, ibi regnat honesta legis uoluntas, quæ nunquam aliquid sine hominum utilitate statuit. Institu. quib. ex caus. manu. non lic. in princip. Dum dicit: Quia lex Aelia Sentia impedit libertatem. Et, Institut. de usucapio. §. furtiuæ quoq;.

Cicero, de natura deor. Lib. j. Non enim tam autores in disputando, quam rationis momenta querenda sunt. Et paulo inferius: Tantum opinio præiudicata poterat, ut etiam sine ratione ualeret autoritas.

Vlpianus in l. prospexit, in princ. ff. qui & à quib. manuiss. Quod quidem per quam durum est, sed ita lex scripta est.

II. Aequitas seu ratio naturalis ita dictat, ergo humana cōstitutione abrogari non potest. l. omnes populi, in fi. ff. de iusti. & iure. Institut. de iure nat. gent. & ciuili. Sed naturalia quidem iura, quæ apud omnes gentes peræquè obseruantur: diuina quadam prouidentia constituta, semper firma atq; immutabilia permanent. l. ulti. in prin. ff. de bon. damnato. l. placuit. C. de iudi.

Ideoq; Iustinianus constitutionem suam de ætate ordinandorum, rectissimè subiicit iuri diuino, Nouel. Quomo. oportet. episc. §. quanta igitur. constit. vj. ibi: Sed super mediam constitutas ætatem, & circa quinquaginta annos secundum diuinæ regulæ agentes &c.

Siquidem leges non dedignantur sacros canones imitari. c. j. de noui operis nunt. Nouell. Ut cler. apud prop. epis. §. si uero ecclesiasticum. consti. lxxxij. Et Nouell. de eccl. canonib. in prin. constit. cxxxij. Dum dicit: Et canones ut leges custodimus.

III. Obseruatur ita nunc pro iure, ergo non est ab eo recedendum. Præsenti enim politia magis expedit uti, ne mutationes turbent rem publicam. Inde sunt uerba apud Iurisconsultos frequentissima, Hoc iure utimur.

Vlpianus in l.ij. ff. de constit. princ. In rebus nouis constituendis euidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo iure, quod iam diu æquum uisum est. l. excepto. C. de locat. & conduct. l. ut liberis, in fin. C. de collationibus. Nouitas enim, quia degenerat ab antiqua simplicitate, mala præsumitur, & discordiam parit. c. cum consuetudinis. de consuet. c. quod dilectio, in fi. de consuet. l. locatio uectigalium. §. earum rerum. ff. de publica. & uectiga. l. ij. C. uectig. noua instit. non poss. Quam ob rem imperatores, merito commendant antiquitatem à fide. l. testamenta. C. de testam. Mos nanque retinendus est fidelissimæ uetus statis.

Legum mutatio non præsumitur, nisi nominatum exprimatur. l. minime. ff. de legib. Imperatores in l. præcipimus. C. de appellat. & consultat. Quicquid autem hac lege specialiter nō uidetur expressum, id veterum legum constitutionumq; regulis omnes relictum intelligant. Et Iustinianus in l. sancimus. C. de testam. Quod enim non mutatur, cur stare prohibeatur? Quid igitur licet, leges sunt legibus conciliandæ. l. j. C. de inoffic. donat. c. cum expediatur. de elec. lib. vij.

Conciliari autem leges facillime possunt. si uis earum atq; potestas, nedum uerba, bona fide ac diligenter expendantur. l. scire leges. ff. de legib. Vis enim & potestas dicitur interna uirtus, ratio seu mens, qua præpotens est lex, ad efficiendum id, quod honestati respondet, etiam si externa uerborum structura uidetur reclamare.

Vnde Vis, uirtus, & potestas in iure idem significant. l. legis uirtus ff. de legib. l. j. ff. de statu liber. l. qui Stichum aut Pamphilum. ff. de solutionib.

Hanc conciliandarum legum artem tractat Iustinianus in Constitutione Pandectarum. iij. incip. Tanta circa nos: Contrarium autem aliquod in hoc codice positum nullum sibi locum uindicabit, nec inuenietur, si quis subtili animo diuersitatis rationes excutiat, sed est aliquod nouum inuentum, uel occulte positum, quod dissonantiae querelam dissoluit, & aliam naturam inducit discordiæ fines effugientem. Quasi dicat: Excute uim ac mentem legis: perpende circumstantiam facti quam definit. His suis finibus distinctis confer similimo cum lege que repugnare uidetur, & statim se conciliatio ostendet.

III. Interpretatio humanarum functionum, sumenda est ex autoritate iuris. Siquidem, Nemo potest in testamento suo cauere, ne leges in testamento suo locum habeant, inquit Pomponius, ff. de legat. j. unde legatum generaliter relictum, interpretari oportet, ut neque de optimo, neque de pessimo accipiatur, scilicet cum multæ res sunt eiusdem generis. l. legato, in princ. ff. de legat. j. Eleganter Papinianus: Sæpe intentio proferentis prima facie uidetur refragari: sed aliud probari non oportet. l. cum unus, in princ. ff. de aliment. & cibar. legat.

V. Multa sè penumero insunt negotijs, etiamsi non exprimantur nominatim ( ut sunt conditiones legitimæ ) non ex uoluntate seu consensu hominum, sed ex autoritate iuris procedentes. Et hæ quidem non faciunt negotium conditionale: gubernant tamen exitum eius, quantum

tenus ad obligationem pertinet. l. conditiones. ff. de condi-  
cione & demonstrat. Argum. l. adigere. §. quamuis. ff. de iure  
patron.

Sunt autem exempla tacitarum conditionum.

1 Si Deus uoluerit. Omnia enim facit & potest  
DE V S. xxij. quæst. ij. c. beatus. Mathæi xix. Ioannis xv.  
Quia (inquit) sine me nihil potestis facere. Innocen. in c.  
debitores. de iure iurant.

2 Si uixerit. l. fi. ff. si quis cautionibus.

3 Si potero. l. impossibilium. ff. de reg. iuris l. continuus.  
§. illud inspiciendum. ff. de uerb. oblig. instit. de inutil.  
stipul. §. si impossibilis.

4 Si tempus concedatur, quo per rerum na-  
turam præstari possit promissum. l. j. §. fi. ff. de cond.  
& demonstrat. l. continuus. §. cum ita. l. interdum. in princ.  
ff. de uerb. oblig. l. quoties certæ species. ff. de oper. liber.

5 Si æquum arbitratus sit. l. si libertus. ff. de ope-  
ris libert. l. Thais ancilla. ff. de fideicommiss. libert. l. Labeo,  
libris posteriorum ff. de statu liber. l. fideicommissa. §.  
quanquam autem. l. si filiae pater. ff. de legat. iiij. l. si socie-  
tatem mecum, & l. seq. ff. pro soc.

6 Si licitum mandauerit aut pactus sit. l. iurif-  
gentium. §. si paciscar. ff. de pact. Instit. de inutil. stipulat.  
§. quod turpi. l. generaliter. & l. seq. l. stipulatio hoc modo.  
l. si flagitij. ff. de uerbor. obligat. c. in malis. de regul. iuris.  
libr. vj. cap. quinta uallis. de iure iurant. xxij. quæstione iiiij.  
per totum.

7 Si æquè bonum nobis reddatur. l. cum quid.  
ff. si cert. petat. l. triticum. ff. de uerb. oblig.

8 Si nuptiæ fuerint secutæ. l. stipulationem. ff. de  
iure dotum. l. cum ueterum. C. de donationibus ante nupt.  
gloss.

gloss. non contemnda in c. non solum. xxxij. q. viij. instit. de donationib. §. est & aliud. ibi : Et tacitam in se conditionem habebat.

9 Si pecuniam numerauerit. l. fin. C. de non numerata pecun. Et ibi secundum Accursium tradunt interpres.

10 Si fides seruabitur. l. eum qui, in princip. ff. de inoffic. testamen. l. qui fidem. C. de transactionibus c. ij. de iureiuran. l. cum proponas. C. de pact. l. pollicitatione. C. de donationibus ante nupt. c. sicut & infra. §. iuramentum autem. c. quemadmodum, de iureiurand. & ibi gloss. ualde utilis.

11 Si res in eodem statu permanserit. l. cum quis sibi, in princip. ff. de solutionib. tractatur in tit. Episcopo uel Abbat. §. Mutus. l. fi. ff. qui satisfare cogant. Qui iurato promisit iudicio sisti: non uidetur peierasse, si ex concessa causa hoc deseruerit. l. Mævia nepotem. §. uxore hærede. ff. de annu. legat. l. in confirmando, & l. seq. ff. de confir. tutor.

12 Si pensionibus paruerit, & ut oportet co-luerit. l. quæro. §. inter locatorem. ff. locat.

13 Si non sit iniuriosus uel damnosus. l. si conuenierit, & l. seq. ff. pro soc.

14 Si necessitas non intercesserit. cap. querelam. & c. breui. de iureiuran.

15 Salua legis & superioris autoritate. l. non dubium est. C. de legib. l. is cui bonis. ff. de uerb. obligat. & ibi Bartol. l. fi. in princ. ff. ad municip. de pace tenend. inter subdi. in fi. & de prohib. feudali per Frid. §. finali. Illud quoque sancimus, ut in omni sacramento fidelitatis, imperator nominatim excipiatur. c. ue-

nientes.

nentes. & c. ea te credimus. de iure iurari.

16 Si in usu quotidiano uersatur. l. fin. C. de fidei iussorib. & mand. Si enim pactis conuentis hoc fieri conceditur, & in usu quotidiano semper haec uersari aspicimus, quare non ipsa legis autoritate hoc permittatur? Et ibi Bald. l. ex ea parte, in princ. ff. de uerbor. obligat. ubi Bartol. allegat l. sicut datam. C. de liberal. caus. l. si prius. §. j. ff. de aqua plu. arcend. Quae ferè in consuetudine esse solent, ut per fistulas aqua ducatur (etiam si nihil sit comprehensum in seruitute constituenda) fieri possunt.

Vlpianus in l. quod si nolit. ff. de ædil. edict. Quia assidua est duplæ stipulatio, idcirco placuit etiam exempto agi posse si duplæ uendor mancipij non caueat. Facit l. diuturna. ff. de leg. & ix. q. iij. c. conquestus est. ubi gloss. uerb. consuetudo.

17 Saluo iure alieno. l. ij. §. merito ait prætor. & §. si quis à principe. ff. ne quid in loc. public. Nam quoties aliquid in publico fieri permittitur, ita oportet permitti, ut sine iniuria cuiusque fiat. l. nec auus. C. de emancipat. liber. Nec in cuiusque iniuriam, beneficia tribuere, moris est nostri.

18 Si poposcerit operas. tit. hic finitur lex. §. ad hoc. & tit. de feud. sine culp. non amitten. in princ. l. cùm patronus, in princ. ff. de oper. liberto. Aliud enim est de operis, aliud de cæteris rebus. Cùm enim operarum editio nihil aliud sit, quam officij præstatio, absurdum est credere, alio die deberi officium, quam quo is uolet, cui præstandum est.

19 Si idonei sint. l. ut gradatim. §. j. ff. de munericib. & honorib. Ita enim Modestinus censet præferendos in honor

honoribus certæ conditionis homines.

20 Quatenus res ex fide agatur. l. creditor. §. Lucius Titius ff. mandat.

Has atque alias id genus moderationes, lex ad instar optimi paedagogi supplet autoritate sua in commertijs hominum, quos scit fragiles esse, ac saepe obliuisci rerum cum primis necessariarum. Et quanquam (ut dictum est) non constituant negotium cui insunt, conditionale: habent tamen insignem hunc effectum, ut actionem impedit per exceptionem oppositæ, non minus quam expressæ conditiones. l. item quia. ff. de pact. Et ibi Bart. cum alijs secundum gloss. Nec quicquam in contrarium facit iuramentum, quod forte adiectum promissione fuerit, quoniam non est vinculum aduersus legem, sed pro lege. Et quia contra promissione suam non facit, qui hasce conditiones in promissione comprehensas sequitur. c. non est obligatorium. de reg. iuris. libr. vij. l. non dubium est. C. de legib.

V I. Quod maior pars definit, præferendum est definitioni minoris partis. Instit. de satisdat. tutor. §. quod si nemo. Dum dicit: Quod si non fuerit adscriptum, quem maior pars elegerit, ipse gerere debet, ut edicto prætoris cauetur. l. refertur. ff. de regu. iuris.

Vlpianus l. iij. ff. de dcrr. ab ord. fac. Lege autem municipalí cauetur, ut ordo non aliter habeatur, quam duabus partibus adhibitis. c. fi. de his quæ fi. à maior. part. cap. & dist. lxvij. c. plebs Diotrensis.

Hinc solet communis opinio præcipua reputari in iure. Vlpianus l. j. §. interdum. ff. de usufruct. ad crescend. Omnes enim autores apud Plautium de hoc consensere. Et in l. cùm quidam. §. quod dicitur si putetur. ff. de

de acquir. hæred. ibi : Si secundum multorum opinionem potest. l.j. C.de testam.

Sunt qui autoritatem gloss. adserant esse necessariam, hoc est, à qua non sit recedendum in iudicio, secuti porrò Bald.in l. cùm hæreditas. C.de poss. & Immol.in cap. cùm contingat de iure iur. Sed hoc non aliter potest procedere, quām si rationem adferat inter alios optimam. Alioquin cur non cæteri quoque audirentur?

VII. Cuilibet in arte sua perito credendum est, cùm de iure quæritur, hoc est, recténe, an perperam factum uel dictum sit. unde philosophorum autoritates sæpe allegantur. Paulus ff. de stat. homin. Septimo mense nasci perfectum partum, iam receptum est propter autoritatem doctissimi uiri Hippocratis. l. intestato. §. si. ff. de suis & legit. hæred.

Philosophi quoque allegantur ab Alpheno in l. proponebatur, in fi. ff. de iudic. Theophrastus adducitur in l. iura constitui. ff. de legib. & alibi sæpe.

Homerus poëta Græcus citatur, Instit. de emption. & uendit. §. item pretium.

Ciceronis autoritatem adserit Vlpianus in l. Fulcinius. §. quid sit autem. ff. ex quib. caus. in poss. eat. Celsus in l. Litus est. ff. de uerb. signific.

Rusticorum senum autoritas refertur à Celso uerbis Proculi in l. si chorus. §. j. ff. de legat. iij.

Veterum autoritati plurimum tribuitur. l. More majorum. ff. de iurisdict. unde Iustinianus, Venerandam antiquitatem frequenter appellat.

L O C V S  
DE INFRACTIONIBVS  
argumentorum.

**E**xplicatis iam argumentandi ab hoc loco formulis, reliquum est, ut uideamus, quibus modis possint huiusmodi argumentationes eleuari. Neque enim semper in tam magna rerum uarietate procedunt. Non quasi ipsa cuiuslibet argumentandi formula in uniuersum tollatur: sed quod in eo casu quo adducitur, non obtineat locum. Quemadmodum vlpianus ff. de reg. iuris. Omnis definitio in iure periculosa est. Rarum est enim, ut subuerti non possit. Certè regula iuris non magis potest in uniuersum subuerti, quam ius ipsum. Sed quando in aliqua facti specie non procedit, quia non potest eam comprehendere: tunc eatenus subuertitur, quatenus ibi cessat, nec habet effectum: retinet tamen uires suas in alijs, quibus accommodatur negotijs.

Hoc sensu Venuleius tradit, regulam uitari & perdere officium suum in l. i. ff. de reg. iuris. Per regulam igitur breuis rerum narratio traditur, & quasi causæ coniectio, quæ simul cum in aliquo uiciata est, perdit officium suum.

Coniectio autem (ut obiter id dicamus) non coniunctio, legendum est. Quemadmodum enim causarum olim patroni, antea quam ad iudicium procederetur, causam coniectabant, hoc est, omnia simul introducebant, ut summatim & commodius deliberare, ac quodammodo præiudicare possent: ita quoq; regula, contrahitur ex ampla iuris tractatione, in breuissimas narrationes, quod facilius agnoscatur præpotens iustitiae ratio, quæ multa comprehendit. Cicero ad Herenn. lib. ij. In comitio (ait) aut in foro ante meridiem causam coniuncto.

Itaq;

Itaque (ut ad institutum redeamus) has argumentorum infractions accipere oportet, quasi exceptiones quasdam, per quas ratiocinatio in proposita quapam controuersia subuertitur seu uitiatur. Et per consequens huiusmodi exemplis intelligi possunt cuiuslibet loci uitiosae argumentationes, de quibus infra generaliter erit differendum. Sed cum frustra laboret, qui in iure ciuili uoluerit omnes probandi iuris fallacias sub regulis seu præceptis generalibus comprehendere, ideo singulis locis interim singulas quoq; adiecimus infractions.

## INFRAC TIO.

I. Sæpe lex uerbotenus aliquid ordinat, uel ordinare omittit: quod tamen secundum mentem ac rationem eius aliter accipiendum aut supplendum est ex alijs legibus.

Itaq; non est tutum, semper ex legum uerbis argumentari. Iustinianus Institut. de eo cui liberta. caus. bona. addi. Et magis est, ut audiri debeant, & si deficiant uerba constitutionis. l. prospexit. §. fi. ff. qui & à quibus manumiss. ibi. Quod ad uerba legis attinet &c. Sanè in hunc casum subueniendum est, &c.

Grauiter Paulus in l. penul. ff. ad exhib. Non oportet ius ciuile calumniari, neque uerba eius captari, sed qua mente id diceretur, animaduertere conuenit. Verba enim legum ῥαπατατικῶς, hoc est, largè & cum extensione accipienda sunt. l. j. ff. unde legit. Vlpianus in l. sed & si lege. §. de eo autem. ff. de peti. hæred. Quamuis nihil Senatus de eo loqui uidetur, puto tamen & ad eum mentem senatus consulti pertinere.

II. Si lex scripta uel non scripta, generalis aut specialis, fuerit per posteriorem politiam, in totum sublata, uel pro parte mutata, nominatim uel tacite: non potest ex ea

u.alidum duci argumentum,l.de quibus.in si. ff.de legib.l.s.  
§.sed & si.C.de uet.iure enucle.

Fieri autem in tanto negotiorum mundo aliter non possest, quin leges & usus aliquando mutantur.l.neq; leges.Et l.seq. ff.de legi.Nouel.de lib.quo.eos opor.in prin.Constit.lxxvij.Ne uir ex dot.in prin.Consti.xcvij.de temp.actio, quæ fac.loc.com.Consti.ijj.Quod medicamenta morbis, hoc exhibent iura negotijs.Vnde consequitur, ut nonnunquam à iudicio discordet effectus : & quod credebat coniectura prodesse , experimento inueniatur inutile.

Valde grauiter Valerius apud Liuum lib.iiij.Ego enim (ait) quemadmodum ex ijs legibus, quæ non in tempus aliquod , sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari fateor : nisi quam aut usus coarguit , aut status aliquis reipublicæ inutilem fecit : Sic quas tempora aliqua desiderauerunt leges , mortales (ut ita dicam) & temporibus ipsis mutabiles esse video.

Quæ in pace latæ sunt, plerumq; bellum abrogat : quæ in bello, pax : ut in nauis administratione alia in secunda, alia in aduersa tempestate usui sunt.l.Seruius ait. ff.de uerbo.signifi.Hæc lex in urbe hodie cessat.

Tertullianus ad proceres imperij , quos tutores legum appellat : Miramini(ait) hominem aut errare potuisse in lege condenda , aut resipiisse in reprobanda ? Nonne & ipsius Lycurgi leges à Lacedæmonijs emendatæ , tantum doloris autori suo inusserunt, ut in secessu inedia de semet- ipso iudicarit ? Nonne & uos quotidie experimentis illuminantibus tenebras antiquitatis , totam illam ueterem & squalentem syluam legum , nouis principalium rescriptorum & edictorum securibus truncatis & cæditis ?

Vnde

Vnde uero punitur, qui legem mutatam allegat directo ad definitionem quasi authenticam negotij controversi. l. ff. ad leg. Corn. de fals. Et ibi Bart. C. de Iustinia, codic. confirmans. §. Hunc igitur. Nisi forte rationes seu grauiiter dicta, adducantur in argumenta cuiuslibet cause. Sublata enim lege, ratio utiq; semper manet. l. j. in prin. C. de Lat. libert. tollen. Et ideo quotidie utimur grauiissimis iurisconsultorum sententijs ex materia seruitutis iamdudum abolitae, quanquam ipsas legum abolitarum definitiones, non allegamus. Vel nisi ex legibus mutatis, declarentur leges non mutatae. Ad hoc enim utilis est aboliti iuris autoritas. l. non est nouum. & l. seq. ff. de legib.

Illud quoq; non est ignorandum, quod autoritas nouarum legum uel constitutionum, intra duos menses, à die publicæ insinuationis, efficaciter allegari non potest. Nouell. vt nouæ constit. post alios duos menses, postquam insinuuerint, obtincant. in princ. constit. lxvj. c. j. §. quod nec sufficit. de postulat. prælator. Vbi tractant secundum glos. alij commentatores.

III. Allegans autoritatem iuris impertinenter, hoc est, extra causam, minimè gentium censetur aliquid demonstrare. argum. l. Hæc stipulatio. §. diuus quoque. ff. ut legat. caus. cau. l. ad probationem. C. de probatio. cap. dilecti filij. de exceptionib.

Vt si quis uolens probare foemineam successionem in beneficijs quoq; militaribus (quæ feuda uocant) esse iustum: alleget l. maximum uitium. C. de liber. præter. Nam huic respondetur in tit. de his qui feud. dar. poss. §. hoc autem notandum. tit. de cognit. feud. §. in iudicio etenim. Et tit. de feud. foemi.

Simili modo autoritatem iuris scripti frustra adducit,

c z qui

qui uoluerit probare appellationem hæredis , uel feudi hæreditarij , eque ad fœminas pertinere , ut masculos , iuxta l.ex facto . §. fin. ff. ad senatus con. trebell.

Etenim in materia beneficiaria resertur duntaxat ad filios masculos , non etiam ad filias . tit. de aliena . feud . §. & si clientulus . Vbi gloss . uerb . sine filio masculo .

Filia uero non succedit in feudo , nisi inuestitura fuerit facta in patre , ut filij & filiae succedant in feudum (tunc enim succedit filia , filijs nō extantibus) uel nisi inuestitæ fuerint de hoc feudo paterno , ait textus in tit. de success. feud. Et rursus in titu. Episcopo . uel abba . Quin etiam si quis eo tenore feendum acceperit , ut eius descendentes masculi & fœminæ illud habere possint , relicto masculo , ulterius fœminæ non admittuntur .

Probatur expreſſe in titu. de leg. contra . §. similiter . ibi , Ut si habeat sibi suisq; hæredibus , quod intelligi debet de solis masculis &c.

Itaque argumentationes in materia beneficiaria uitiosæ ac fallaces , in quæſtionibus ciuilibus optime procedunt.

Nec est quod Tyro iuris miretur hanc diuersitatem , inter beneficiarias & ciuiles ſucceſſiones , quaſi contra ius naturæ receptam , iuxta l. maximum uitium . C. de lib. præterit . Nam rationes redduntur longè grauiſſimæ ac ineuitabiles , quæ ſic exigunt .

I III I. Omnis autoritas cedit rationi , etiamſi par , uel etiam inferior eam adducat : non , quaſi generatim ſuperioris autoritas damnetur : ſed quod in facti ſpecie controuerſa , autor ille par , uel inferior propius acceſſerit ad ipsam iuſtitiae medullam , quam superior .

Celsus in l. labco ait , in fin. ff. de ſupelleſti . legat . Sed etiamſi

etiam si magno opere me Tuberonis & ratio & autoritas mouet, non tamen à Seruio dissentio: non uideri quempiam dixisse, qui non suo nomine usus sit. Nam et si prior atque potentior est, quam uox mens dicentis: tamen nemo sine uoce dixisse existimat. Paulus item uidetur Seruio accedere in l. iij. in fin. ff. de reb. dubi.

Vlpianus, l. quod dicitur. §. si dos tota. ff. de impens. in reb. dot. fact. sic dicit. Et Marcellus admittit, conditioni esse locum. Sed et si plerique negent, tamen propter æquitatem, Marcelli sententia admitta- da est. Probatur Instit. de empt. & uend. §. diuersæ scholæ autores. Vbi Proculi sententiam præfert Sabino & Caſio diuersum adſerentibus.

V. Maioris partis autoritas non semper ex numero personarum, sed ex negotij qualitate, uel ex ratione fuerit aestimanda. l. j. ff. de priuil. cred. l. per fundum. ff. de seruitu. rusti. præd. l. maiore parte. ff. de uerb. signific.

Papinianus, ff. de pact. Maiores esse partem proximo debiti, non pro numero personarum placuit. Et ex concilio generali sic scribitur in c. j. de his quæ si. à ma. par. cap. Nisi à paucioribus & inferioribus aliquid rationabiliter obiectum fuerit & ostēsum.

Quinimò, unius sæpe sententia, potest rationibus uincere multorum opiniones. Iustinianus in l. j. §. cumq; hæc materia. C. de ueter. iur. enuclean. Sed neq; ex multitudine autorum, quod melius & æquius est iudicato: cum possit unius forsitan & deterioris sententia, & multos & maiores aliqua in parte superare. Accedit l. si unus. §. fin. ff. de arbit.

Vnde Plinius rectissime sentit: in consultationibus,

non tam numerandas, quam ponderandas esse sententias.  
Ideoq; non semper tutum est, ab autoritate maioris partis  
argumentari in deliberationibus causarum: nisi forte  
omnia sint paria, hoc est, non appareat ulla rationum di-  
uersitas. Tunc enim est aliquid cum multis sentire, etiam si  
erretur. Extant exempla longe grauiissima, in quibus  
unius ratio, multorum sententiam expugnauit.

De Ephesio quodam exulante in Italia, qui solus per-  
suasit populo Romano, ut leges decem tabularum peteren-  
tur à Græcis, quibus sequenti anno due fuerunt adiectæ.l.  
ij. §. exactis deinde regibus. ff. de origini iur. de Gamaliele,  
cui omnes Iudeorum procères cesserunt. Act. v. & distin.  
ix. c.ulti. c. in Genesi. de electio.

Illud semper oportet inter tot autorum scripta uersa-  
re ob oculos, quod Paulus ait in l. antiqui. ff. si pars hæred.  
pet. Ideo multa de huiusmodi re tam uaria & in-  
credibilia tradiderunt, ut fabulis adnumerentur.

Aliquando etiam dignitas personarum, non numerus fa-  
cit autoritatem in deliberationibus præcipuam. l. iij. §. eius-  
dem. ff. de testib. Alias numerus testium, alias dignitas  
& autoritas. distin. xix. c. in canoniciis. Et distinct. lxiiij. c.  
plebs Diotrensis. Vbi gloss. not.

V II. Ordinatio & autoritas specialis, plerunq; de-  
rogat ordinationi generali. l. prohiberi. §. plane si præses.  
ff. quod ui aut clam. l. Lucius Titius. §. si. ff. ad municip. l. ij.  
in prin. ff. de administra. rer. ad ciui. pert. Hinc est, quod  
appellatione honorum quantumuis generali, non tamen  
comprehenditur feudum. tit. de cap. qui cur. uend. in princ.  
Et, tit. si de feudo. defini. cont. sit. §. in generali. Habet enim  
specialem ex moribus ordinatione. Et summatim: In toto  
iure, generi per specie derogatur; ait Pap. ff de reg. iu.

72

A B H O N E S T O  
& utili.

**H**I Loci generalissimam in toto iure vim & potesta-  
tem habent: sic cohærentes, ut alter comprehendat  
alterum. Quicquid enim honestum est, id nunquam est  
utile, etiam si plausibile lucrum præ se ferat. Siquidem  
uera utilitas ex honestate procedit, & honestas semper  
complectitur utilitatem. Quamobrem Vlpianus, uolens du-  
plex ius explicare, proponit duplificem utilitatem, publicam  
& priuatam, in l.j. §.j. ff. de iust. & iur. Sunt enim quæ-  
dam publicè utilia, quædam priuatim. Cùm enim  
ordinationes politicæ, ac omnes plane res, gratia hominis  
sint comparatæ: consequitur necessariò, uniuersam iuris  
institutionem non aliò pertinere, quam ad honestam ho-  
minum utilitatem. Instit. de rer. diui. §. in pecudum. Cùm  
omnes fructus rerum natura gratia hominis com-  
parauerit, ait Iustinianus. Et David, Omnia subiecisti  
sub pedibus eius.

Vlpianus, l. qui que litigandi, in fin. ff. de in ius uocand.  
Quod & honestius est, & meritò obtinuit.

Modestinus, ff. de ritu nupt. Semper in coniunctio-  
nibus, non solum quid liceat considerandum est,  
sed & quod honestum est.

I. Recitè igitur hunc locum appellauerimus, ab è wier-  
neke, hoc est, à conuenientia. Quid enim conuenientius hu-  
manæ societati, quam honesta utilitas?

II. Ab humanitate. Quoniam hominum uitæ nihil  
plus tribuit, quam utilitas honestati coniuncta. l. cùm anti-  
quitas. C. de usufruct.

III. A' benignitate. l. si tibi pecuniam. ff. si cert. pet.  
Vbi cum aliquis pecuniam donasset, ac eam a donatario  
rursus mutuo acciperet: uidebatur, propter regulas summi  
iuris neutrū subsistere. Sed hæc intelligenda sunt pro-  
pter subtilitatem uerborum. Benignius tamen est,  
ut trunc̄ ualere. Celsus in l. per fund. ff. serui. rusti. pr. aed.

IV. Ab æquo & bono. l. j. in princ. ff. de iusti. &  
iure. Ius est ars boni & æqui, dicit Vlpianus, hoc est,  
collectio præceptorum ad honestam utilitatem uitæ per-  
tinentium. Idem in l. quod si epheſi. ff. de eo quod cert. loc.  
In summa, æquitatem ante oculos habere debet  
iudex, qui huic actioni addictus est.

Celsus, ff. de oper. libert. Si libertus ita iurauerit, da-  
turum se tot operas, quot patronus arbitratus sit.  
non aliter ratum est arbitrium patroni, quam si  
æquum arbitratus sit. Et ferè ea mens est perso-  
nam arbitrio substituentium, ut quia sperent eam  
rectè arbitraturam, id faciant: non quia uel immo-  
dice obligari uelint.

Aequitatis duo grauissima sunt exempla. Alterum, de eo  
qui uult facere quod sibi prodest, & nemini nocet. l. j. §.  
idem aiunt. l. ij. §. quanquam ff. de aqua plu. arcen. l. j. in fin.  
ff. de riuis. Alterum est exemplum de eo, qui aliij uult no-  
cere, nihil laturus, nisi ut officiat prætextu sui iuris. l. in  
fundo alieno. in fin. ff. de rei uind.

V. A' naturali iustitia. l. scire oportet. §. sufficit. ff.  
de excusa. tuto. Cuius fidem tametsi sufficit firmare  
ex naturali iustitia &c.

VI. A' bona fide. Instit. de actionib. §. actionum au-  
tem l. consensum. ff. de actionib. & obligatio. l. bona fides  
non patitur. ff. de regulis iuris. l. si fideiussor. §. quædam.  
ff. man

**ff. mandat.** De bona fide enim agitur, cui non con-  
gruit de apicibus iuris disputare.

**VII.** Ab æqua lance. *Cum sic obseruatur ultro  
citroq; inter negotiantes proportio, ut nemo sentiat utili-  
tatem cum dispendio alterius. l. non tantum dotis. ff. de re  
iudic. Quod & in persona mulieris æqua lance ser-  
uari æquitatis ratio suggerit. l. bona fides quæ. ff. de-  
posit. Et probo hanc esse iustitiam, quæ cuicq; suum  
ita tribuit, ut non distrahit ab ullius personæ iu-  
stiore petitione. l. nam hoc natura. ff. de cond. indebit. l.  
non debet. ff. de reg. iuris.*

**VIII.** Ab arbitratu boni viri. l.j. ff. ususfructua.  
quem ad. caue. Cauere autem debet boni viri arbi-  
tratu percepturum iri usumfructum.

*Venulcius in l. continuus. §. cum ita stipulatus sim. ff. de  
uerb. oblig. Et magis est, ut totam rem ad iudicem  
aut virum bonum remittamus.*

**I X.** A' gubernatiua sapientia. Nouell. ne vir ex  
dote, in prin. Constit. xcviij. Quod autem secundum  
nos est, in redundationis comprehensum tumultu-  
tum, gubernatiua indiget sapientia ex legibus su-  
perueniente negotijs. Hanc Vlpianus eleganter ad-  
pellat Veram philosophiam, utpote per quam honesta  
utilitas inter homines poenis atq; præmijs dispensatur.  
l.j. in prin. ff. de iustit. & iur.

**X.** A' simplicitate. Instit. de fideicommiss. hæredita.  
§. sed quia stipulationes. & §. fi. Quod si is à quo re-  
lictum dicitur, postquam negauerit, confiteatur  
quidem aliquid à se relictum, sed ad legis subtili-  
tatem recurrat, omnino soluere cogendus est.  
Et, Instit. de legitim. agnator. success. commendatur simpli-

citas legis duodecim tabular.

X I. A<sup>r</sup> religione iudicantis. l. quæ situm est. ff. de testib. Verumtamen quod legibus omisum est, non omittetur religione iudicantium. Accedit inslit. de locat. & conduct. §. conductor.

X II. A<sup>r</sup> uero iure: Vel, A<sup>r</sup> germana iustitia. Cicero grauiter Offic. lib. iiij. Sed nos ueri iuris germanæq; iustitiae solidam & expressam effigiem nullam tenemus. umbra & imagine utimur, eas ipsas utinam sequeremur.

Omnes prædictæ appellations ad hunc locum pertinent: & reuera nihil aliud, quam honestam utilitatem ad retinendam inter homines tranquillam æqualitatem significant. Ideoq; opponuntur, in honesto, inutili, iniquo, summo iuri, seueritati, stricto iuri, subtilitati scrupulosæ. l. respiciendum. ff. de pœnis. l. placuit. C. de iudic.

#### F O R M U L A.

I. Inter multas iuris definitiones ea semper prærenda est, quæ maiorem habet utilitatem. Vlpianus l. quod si maritus, in fi. ff. de constit. pecun. Quam sententiam non inuitus probarim, habet enim utilitatem. Idem l. eum qui ephesi. §. item tutori. ff. cod. tit. Utilitatis gratia puto dandam.

Marcellus in l. Titius Scio, in fi. ff. cod. tit. Est enim humanior & utilior ista interpretatio.

II. Utilitatem suam potest quilibet curare. Vel sic. Nemini imputandum est, quod utilitati suæ profixerit. l. quod autem. §. apud Labeonem. ff. quæ in fraud. creditor. Eum qui suum recipiat, nullam uideri fraudem facere, dicit vlpianus secundum Labeonem. Idem, in §. sequen.

*Sequen.* Sibi enim uigilauit.

Quod autem hæc & alia id genus omnia intelligi oporteat de utilitate ac cura, quæ coniunctam habeat honestatem, ostendit I. ait prætor que. §. actio hæc. ff. eod. tit. Iniquum enim prætor putauit, in lucro morari eum, qui sensit lucrum ex fraude. Idcirco extorquendum ei lucrum putauit.

Paulus in l. in summa. §. quanquā. ff. de aqu. plu. arcen. Si uelim aggerem restituere, in agro eius qui factus mihi quidem prodesse potest, ipsi autem nihil nociturus est. Hæc æquitas, etiam si stricto iure deficiamur.

III. Ut ilitas semel adquisita, non corruptitur per qualemque uitium incidunt. Vel sic. Utile per inutile non debet uitiari. de reg. iuriis. lib. vi. l. sed & si decem. ff. de constit. pecun. Vlpianus l. j. ff. de uerbis. obligation. Sed & si mihi Pamphilum stipulanti, tu Pamphilum & Stichum responderis: Stichi adiectionem pro superuacuo habendam puto. Nam si tot sunt stipulationes, quot sunt corpora, duæ sunt quodammodo stipulationes, una utilis, alia inutilis: neque uiciatur utilis per hanc inutilem.

III. Multa hominum negotia non nisi ex bono & aequo seu ex honesta quadam benignitate, nec antea definiiri possunt, quād accidunt.

Scaeuola, ff. de diuers. temp. præscript. De accessionibus possessionum nihil in perpetuum, neque generaliter definire possumus. Consistunt enim in sola æquitate. Idem, in l. Mellia. ff. de annu. legat. Vxore hærcde scripta, ita cauit. Libertis meis omnibus alimentorum nomine, singulis annuos denar

denarios duodecim ab haerede dari uolo, si ab uxore mea non recesserit? Quæro. Cum paterfamilias sua uoluntate de ciuitate difficile profectus sit, ea autem assiduè proficiscatur, an liberti cum ea proficisci debeant? Respondi. Non posse absolute responderi, cum multa oriri possint, quæ pro bono sint aestimanda. Ideoq; huiusmodi uarietatem uiri boni arbitrio dirimendam esse.

## I N F R A C T I O.

I. Utiles publica præfertur priuatæ uelut honestior. Vel sic: *Quod multis prodest, honestius est, quam quod uni commodum adfert.* l.j. §. hæc autem omnia. C. de caduc. tollend. Sed quod communiter omnibus prodest, hoc priuatæ nostræ utilitati præferendum esse censemus, nostrum esse proprium subiectorum commodum, imperialiter existimantes.

*Imperatores in l. iij. C. de primipilo.* Utiles publica præferenda est priuatorum contractibus.

*Paulus, in l. actione. §. Labeo autem. ff. pro socio.* Semper enim non id, quod priuatim interest unius ex socijs, seruari solet, sed quod societati expedit. Exigit profecto talium utilitatum seu boni & æqui collatio, magnum & ab adfectibus prauis alienum animi iudicium.

*Iulianus, l. si ita uulneratus, in fin. ff. ad legem Aquil.* Multa autem iure ciuili contra rationem disputandi pro utilitate communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari potest. Vnum interim proposuisse contentus ero. Cum plures trabem alienam furandi causa sustulerint, quam singuli ferre nō possent: furti actione omnes teneri existimantur,

mātūr, quamvis subtili ratione dici possit, neminē eorum teneri, quia neminē uerum sit eā sustulisse.

I I. Cūm tale uitium seu inutile accedit, quod omnino repugnet actui, tunc id, quod alioquin utile esset corruptitur, & non suppeditat argumentum. I. actus legitimi. ff. de regu. iuris. In totum uitiantur per temporis uel conditionis adiectionem, dicit Papinianus.

I I I. Aequitas utilitasq; maior uincit minorem. Et meritō. Sunt enim tam in publicis, quam priuatis negotijs uirtutū gradus, sicut & uitiorū. Omnia igitur probanda, tandem quod optimum est tenendum, uel Apostolo autore.

Vlpianus, l. ubi autem non apparet, in princip. ff. de uerbor. obligat. Quia bono melius inueniri potest. Quo fit, ut boni appellatio non sit certæ rei significatiua, cūm id, quod bono melius sit, ipsum quoque bonum sit. At cūm optimum quis stipulatur, id stipulari intelligitur, cuius bonitas principalem gradum bonitatis habet.

Ad l. si seruus communis. §. quod uero ad mandati. ff. de furt. & l. at si quis. §. j. ff. de relig. & sumpt. fun.

Cūm itaq; in eadem facti specie, maior æquitas uincit minorem, diuersitate rationum exigente: tunc argumentum ab æquitate illa minore, potest subuerti. Africanus, l. si seruus communis. §. quod uero ad mandati. ff. de furt. Nam licet alioquin æquum uideatur, non oportere cuiquam plus damni per seruum euenire, quam quanti ipse seruus sit: multo tamē æquius, nemini officium suum, quod eius, cum quo contraxit, non etiam sui cōmodi causa suscepere, damnosum esse.

Vlpianus in l. at si quis. §. j. ff. de relig. & sumpt. funer. Satius est enim de suo testatorem funerari, quam alios

alios legata consequi. Ibidem. Legatarium tamen legato carere non oportet, si potest indemnis ab hærede præstari. Quod si non potest, melius est legatariū non lucrari, quām emporē damno advici.

Tum illud quoque prætereundum non est: quod inter quoslibet artifices longa differentia est, et ingenij, et naturæ, et doctrinæ, et institutionis, ut ait Vlpianus, l. inter ff. de solutionibus.

### A' N E C E S S A R I O.

**N**ecessitas est uis quedam, ex conditione rerum uel temporis emanata, cogens nos aliquid facere aut omittere uel inuitos. Talis autem uis aliquando incidit repentina impetu, plerunque uero paulatim et aliquo successu solet euenire. l. iij. §. cum in eadem naue. ff. ad leg. Rhodi de iactu. Tempestate graui orta necessariò iactura facta erat.

Pomponius l. iij. ff. de orig. iuris. Nouissimè sicut ad pauciores iuris constituendi uia transisse, ipsis rebus dictantibus, uidebatur: per partes euenit, ut esset necesse reipublicæ per unum consuli. Sicut enim dictantis uerba paulatim unum post aliud excipimus, nihilq; de nostro addimus: ita quotidiana rerum conditio successim nos quo uelit, uocat uolentes, nolentes.

### F O R M U L A.

I. Necessitas non habet legem. Vel sic: Necessitas iustum præbet excusationem. d. l. iij. §. deinde quia difficile. ff. de orig. iuris. Necessitas ipsa curam reipublicæ ad Senatum deduxit.

Triphominus, l. in bello. §. medio tempore. ff. de capti. & de postlim. reuersi. Non mirum, quia illius temporis

poris conditio necessitasq; faciebat , & publica  
nuptiarum utilitas exigebat.

Accedunt c. quanto. de consuetud. & de consecrat. di-  
stinct. j.c. sicut.

I I. Sæpe necessitas mutat formam iure scripto uel  
non scripto introductam. Vel : Necesitas non est subie-  
cta humanis constitutionibus. Item quamuis. §. j. ff. com.  
diuid. Quia hoc propter necessitatem fit.

Vlpianus in l.j. ff. de feri. Sanè quoties res urget,  
cogendi quidē sumus ad prætorem uenire. Proba-  
tur l.j.C.de oper.libcr.tit. quid sit inuest. §. si autem inuest.  
dum dicit : Aut inopia probationis emergente.

Innocentius Romanus Pontifex. de reg.iur. sic tradit.  
Quod non est licitum in lege,necessitas facit licitū.

## I N F R A C T I O.

Necesitas minimē gentium cogere nos potest in per-  
niciem publicam. l. ij. ff. de iure immunita. Impuberis  
quamuis necessitas penuriae hominum cogat, ad  
honores non esse admittendos.

## A B I M P O S S I B I L I.

D Vplex est impossibilitas, scilicet, iuris & facti. Aliás  
enim ius & æquitas resistit ijs, quæ animo destina-  
mus. Itaque fieri impunè non possunt. l. legis uirtus. ff. de  
legib.l.continuus. §. cùm quis. ff. de uerb. oblig. Nec ad  
rem pertinet, quodd ius mutari possit, & id quod  
nunc impossibile est, postea sit possibile fieri. Non  
enim secundum futuri temporis ius, sed secundum  
præsens æstimator debet stipulatio. Scilicet, quæ im-  
possibile continet. d. l.continuus. §. cùm quis. Aliás na-  
tura negat aliquid fieri : ut, cælum digito tangere. Instit.  
de

de inutil. stipulat. & si impossibilis.

*Dificultas magna, propemodum ab impossibili non differt. Vlpianus. ff. fam. ercisc. Si familiæ erciscundæ, uel communi diuidendo iudicium agatur, & diuisio tam difficultis sit, ut penè impossibilis esse uideatur.*

*Paulus in l. iij. ff. de interrogat. Quia pleruncq; difficultis probatio haereditatis est. Hoc est, aliquem adiuisse haereditatem, sicut lex præcedens declarat. Siquidem aditio consistit in nuda uoluntate. Instit. de haeredit. qualit. & differen. & sicut autem. Vnde solent interpres, difficultatem comparare casui fortuito. Caius in l. non dubium. ff. deleg. iij. Sed & si cui legatum relictum est, ut alienā rem redimat: si redimere non possit, quod dominus id non uendat, uel immodico pretio uendat.*

#### F O R M U L A .

I. Impossibilium nulla obligatio est. dicit Marcellus ff. de regul. iuris. & probatur l. quod nullius. l. ea quæ. & l. uerum est. ff. eod. tit. c. fi. de conditionib. apposit. & ibi gloss. uerb. impossibile.

II. Obtinuit impossibiles conditiones testamento adscriptas pro nullis habendas: ait Vlpianus ff. de cond. & demonst. Instit. de haer. instit. &. impossibilis.

#### I N F R A C T I O .

I. Quod adfirmando natura est impossibile, id negando habet in se possibilitatem quandam. Ut, si cælum dixi non tetigeris. l. impossibilis conditio. ff. de uerb. obligat. impossibile enim quando in non faciendum concipitur, representat meram necessitatem.

II. Dificultas non ita magna, utpote, personarum magis, quam rerum qualitatem respiciens, non equiparatur impossibili. l. iij. & ex quo quidem. ff. de uerbis. obligat. Sed

Sed non facit inutilem stipulationem difficultas præstationis, dicit Paulus.

Venuleius, l. continuus. §. illud inspiciendum. ff. eod. tit.  
Sed hæc recedunt ab impedimento naturali, & re-  
spiciunt facultatem dandi. Est autem facultas, per-  
sonæ commodum incommodumq; non rerum.

A' difficulti ergo fallax plerunque est collectio.

## A B E X P E R I E N T I A.

E Xperientia est cognitio quædam nullo docente, per  
usu[m] contingens. Et in hoc distat ab arte, quæ certis  
traditur præceptis. Cæterum, artis studium, nisi usu &  
experientia sit confirmatum in homine quantumuis eru-  
dito, uidemus admodum esse fragile, ac minus habere au-  
toritatis. Quare hic locus etiam ad finis est superiori,  
Ab autoritate: & rectissime dici potest. Experientiam  
censeri comitem ciuilis disciplinæ, omnino necessarium.

## F O R M U L A.

I. Multa sunt quorum cognitionem certò adsequi non  
possimus, nisi per experientiam. Vel: Experientia, rerum  
omnium certissima moderatrix est. Iustin. Nouell. de appella-  
tioni. in prin. consti. xxij. Ex rerum autem experien-  
tia inuenimus hoc satis esse damnosum. Idem, No-  
uell. de his qui nupti. iter. §. per causam uero. consti. xxij.  
Siquidem ex euētis medijs temporis edocti sumus,  
plerosq; longiore spatio, quam per biennium, nihil  
potuisse: postea procreandorum etiam liberorum  
ministerio idoneos habitos. Et Nouell. de tempore  
actionum, in prin. consti. cxj. Quod medicamenta, mor-  
bis, hoc exhibent iura negotijs. Vnde consequitur,  
ut nonnunquam à iudicio discordet effectus: &

f

quod

quod credebat coniectura prodesse, experimento inueniatur inutile.

*Augustinus Distin. l. Cogunt enim multas inuenire medicinas, multorum experimenta morborum.*

*Cicero Epist. famili. lib. j. Quod ipse literis omnibus à pueritia deditus, experientia tamen magis quam discendo cognoui.*

II. Peritis in arte credendum est. Et merito: Experientia enim & usus confirmat artem. *Vlpianus in l. j. in prin. ff. de inspiciencient. Et ibi tres obstetrices probatae & artis & fidei.*

*Celsus uerbis Proculi in l. si chorus. §. j. ff. de legat. iij. Et saepe audīsse se rusticos senes ita dicentes: pecuniam sine peculio fragilem esse: peculum appellantes, quod præsidij causa seponeretur.*

*Haud dubie rustici illi analphabeti, per experientiam hoc didicerant: quia senes.*

### A B I N C O N V E N I E N T I, seu absurdō.

**H**ic locus opponi potest omnibus plane argumentationib⁹. Vbicunque enim ex ratiocinatione sequitur absurdum, ibi non procedit: etiam si prima fronte uideatur plausibilis, ut infra scriptis exemplis adparebit euidenter.

Absurdum autem seu inconueniens accipiendum est id, quod omnium bonorum uirorum mentes aspernat⁹ & repudiunt: quoniam cum æquitate naturali pugnat, & honestati contrarium est. Vnde quae absurdā sunt, ea nec rationē habent qua probentur, nec respondent communib⁹ principijs.

### F O R M U L A.

I. *Lex semper exosam habet ac uitat absurditatem seu incon-*

*Erip*

*Inconvenientiam in suis definitionib. Caius, ff. de bon. liber.*  
*Nam absurdum uidetur, licere eisdem partim com-*  
*probare iudicium defuncti, partim euertere.*

*Vlpianus, l. sed si unius. §. idē Iulianus scribit. ff. de iniur.*  
*Alioquin nisi ei permiserimus procuratorem dare*  
*posse: futurum est, ut si ualetudine impediatur, ne-*  
*que sit qui iniuriarum actionem exequatur, impe-*  
*diatur actio. Ibid. §. idē ait: Esse enim perabsurdum,*  
*quem prætor manente patria potestate ad actionem*  
*admittendum putauerit, ei patrifamilias facto*  
*ultionem iniuriarum suarum eripi, & transferri ad*  
*patrem, qui eum (quantum in ipso est) omiserit.*

*Paulus in l. is qui in potestate, in prin. ff. de legat. præst.*  
*Et absurdum est, eum cogi legata præstare, quia*  
*bonorum possessionem petierit: cùm & sine hac*  
*hæreditatem habiturus sit suo iure. Ibidem. §. fin.*  
*Quia absurdum est, illum commoda hæreditatis*  
*habere, alium onera sustinere in præstanto legato.*

*Iulianus in l. iij. ff. si usus fr. pct.* Est enim absurdum,  
 plus iuris habere eos, qui possessionem duntaxat  
 ususfructus, non etiam dominium sunt adepti.

*Caius in l. siue hæreditaria. ff. negot. gesto.* Nam cùm  
 propter ipsam ruinam, aut incendium damnandus  
 sit: absurdum est, eum istarum rerum nomine, quæ  
 ita consumptæ sunt, quidquam consequi.

*Vide l. bonorum possess. ff. rem rat. hab.*

*I I. Ex pluribus sententijs seu interpretationibus, illam*  
*præferre oportet, per quam evitatur absurdum.*

*Caius in l. fi. ff. de manumiſſ. vindict.* Si tutoris haben-  
 di causa pupillus manumittat: probationis esse  
 causam, Aufidius ait, Nerua filius contra sensit.

Quod uerius est. Nanque perabsurdum est, in eli-  
gendo tute uideri firmum esse iudicium ei pupil-  
lo, cuius in omnibus rebus ut infirmum iudicium,  
tutore autore regitur.

*Vlpianus in l. fructus. §. j. ff. solut. matri.* Alioquin si  
coactis uindemijis, altera die diuortium intercedat;  
fructus integros retinebit.

*Paulus in l. nihil. ff. de coniung. cum emanci. liber. eius.*  
Sed potest superior sermo & ad hunc casum re-  
ferrri. Nam absurdum est, patrem quidem eius le-  
gata præstare, ipsum uero plus habere: cum eadem  
conditione in eandem partem uocetur.

*Tryphoninus in l. pen. §. si pup. ff. de rit. nup.* Alioquin  
omnis debitor eam, cui obligatus esset ex aliqua  
ratione, prohiberetur sibi filioꝝ suo coniungere.

III. Nonnunquam Iuris consulti utuntur formula quæ-  
rendi de ratione: interdum adserunt nullam esse rationem  
quare hoc uel illud dicatur, aut non dicatur. Quod sane nihil  
est aliud, quam argumentari ab inconuenienti uel absurdo.  
Siquidem superius diximus: absurdum censi id quod nul-  
la ratione potest admitti per communem sensum: quia non  
conuenit humanæ societati.

*Vlpianus in l. fructus. §. non solum. ff. solut. matrimon.*  
Quare enim, si maritus prope partum oves doti  
acceperit, item proximas tonsuræ: post partum &  
tonfas oves protinus diuortio facto, nihil reddat:  
Quasi dicat: Nulla est ratio quare maritus lanam retineat.  
Itaq; dicendum erit, quod ad reddendum teneatur.

#### I N F R A C T I O.

Sæpe factorum species incident, in quibus quidquid sta-  
tuas, ex omni parte uidetur iniquum, inconueniens, uel ab-  
surdum.

*surdum. Tunc si minorem iniquitatem inficias, male colleges argumentationem. Nam maior potius est absurditas perpendenda, ut inde ratiocineris. Et profecto talis inconvenientium comparatio, magnum requirit iudicium, et bona consultationis pars est.*

*Elegantissime Iulia. in l. si ita uulneratus. ff. ad leg. aquil. Quod si quis absurdè à nobis hæc constitui putauerit: cogitet longè absurdius constitui, neutrum lege Aquilia teneri, aut alterum potius: cum neq; impunita maleficia esse oporteat, nec facile consti- tui possit uter potius lege teneatur.*

*Vlpianus, ff. de reg. iuris. Quoties nihil sine captio- ne inuestigari potest: eligendum est quod mini- mum habeat iniquitatis.*

*Absurdum est, impunitū relinqui admissum crimen. At multò absurdius, absentē ob quaslibet suspicōnes damnari. l. absentē. ff. de pœnis. Satius est enim impunitum re- linqui facinus nocentis, quam innocentē damnari.*

*Si impuberi moueatur controuersia status: plerunq; est inconueniens eum repræsentari sub ætate imbecilli. Sed ali- quando in tempus pubertatis differri, longè uidetur inconuenientius. l. iij. §. due autem sunt. ff. de carbon. edict. Hoc enim diligentissimè prætori examinandum est: an expeditat pupillo repræsentari cognitionem, an potius differri in tempus pubertatis.*

*Iniquum est, cuiquam hominum ius suum, et liberum proprijs in rebus arbitrium detrahi. l. id quod nostrum. ff. de reg. iuris. l. in re mandata. C. mandat. At longè iniquius censetur, admitti passim pernitosos rerum abusus, et interim iuste deprecantibus auxilium denegari. Institu. de his qui sui uel alie, iuris sunt. §. sed et maior asperitas. l. ij. ff.*

cō. tit. l. j. §. quōd autem. ff. de offic. praefect. urb.

Facit l. diuus Traianus, ff. de milit. testa. Nec ullorum magis interest, quam ipsorum, quibus id priuilegium datum est, eiusmodi exemplum nō admitti. Et pulchrē Nouell. de diuers. capit. §. si quis uero uxorem. Constitut. cxvij. Vbi prohibetur uerberatio uxorum sine causis ibi recitatis: non solum mulierum, sed etiam ipsorum maritorum gratia. Quid enim si nimia tandem fœminarum patientia uertatur in rabiem uel desperationem, iuxta prouerbium.

Grauiter imperatores rescripsierunt militibus. C. de rescindens uendit. Ratas manere semper factas iure uentiones, uestra etiam interest. Nam si ablato pretio rescindere uentionem facile permittatur: eueniet, ut et si quid uos de laboribus uestris à fisco nostro uel à priuato comparaueritis, eadem lege conueniamini, quam uobis tribui postulatis.

Hæc plurimum ualent in consultationibus, quas utinam multi sua tandem pernicie non contemnerent. Si enim in his atq; similibus exemplis utramq; partem expendas, absurdi aliquid inuenies. Verum collatione facta, inæqualitatem animaduertes absurdorum. Vt ecce: Inciuile uidetur maritum caput uxorius punire, quod uerberibus eam adficerit. l. j. C. de emenda propin. At multo perniciosius erit futurum, si passim in miserias uxores saeuendi concedatur maritis arbitrium. Pleriq; enim ne communi quidem sensu utuntur in emendandis uxoribus.

#### A<sup>1</sup> R A T I O N E.

**Q**uandoquidem rationem ubiq; regnare oportet, non leuis ab ea ducitur argumentatio. Est autem ratio,

tio, Ciceroni, causa quæ demonstraturum esse id, quod intendimus, breui subiectione. Et Seneca: Quid est ratio, (inquit) nisi naturæ imitatio? Sequitur ratio naturam, & bonum sine ratione nullum est, & uirtus non aliud, quam recta ratio.

Rectè dicit Bartolus: rationem legis, esse mentem legis, uel (ut alij uocant) animam legis. l. cùm mulier, in princ. ff. solut. matri. l. cùm pater. §. dulcissimis. ff. de lega. iij. l. abiger. §. quamuis. ff. de iur. patrona. Macer. ff. de re milita. Milites agrum comparare prohibentur in ea prouincia, in qua bellica opera peragunt: scilicet ne studio culturæ militia sua auocentur. Et ideo domum comparare non prohibentur.

## F O R M U L A.

I. Vbi est eadem ratio, ibi oportet definire idem ius.  
Insti. quod cum eo qui in alien. potesta. §. si igitur, in fi. &  
Instit. quib. mod. ius patri. potest. soluit. §. pari ratione. l.  
illud quæsumus est. ff. ad leg. aquil. l. j. §. Hoc interdictum. ff.  
de fonte. l. si postulauerit. §. ratio. ff. ad leg. Iuli. de adulter.  
l. quædam. §. numularios. ff. de edend. l. Nauta. §. fi. ff. nau-  
tæ, caupo. stabul. l. j. in princip. ff. de bono. posse. ex testa-  
men. milit.

II. Vbi nulla adparet ratio diuersi iuris, ibi non est  
diuersum ius constituendum. l. à Titio ita stipulatus sum.  
ff. de uerb. oblig. Cur non idem & in dote promissa  
respondeatur, ratio reddi non potest.

III. Cessante legis ratione, cessat quoq; lex, uel etiam  
privilegium. l. quod dictum est. ff. de pact. & ibi Bartol.

## I N F R A C T I O.

I. Cùm alia quidem ratio est in altero casu: sed eodem

ſ 4 tamen

tamen ducens : tunc ius propter diuersas rationes non uariabitur. l.j.in prin. ff. de collat. bon. Hæc in patre adoptiuo ratio reddi non potest. Et tamen & ibi dicemus, si sine dolo malo emancipauerit.

II. Vbi sunt plures rationes unius ordinationis : ibi cessante una, non statim lex tollitur. Instit. de nupt. §. adfinitatis. Bart. in l. liberorum. ff. de his qui not. infā.

III. Non procedit argumentatio à ratione, cui plures obstant rationes in ea specie quæ controuertitur. l.j.C. de legit. hæred. Vel, cùm melior ratio diuersum exigit.

### A DEFINITIONE.

**D**Efinito, est ratio, qua, quid sit res breuiter & aperte demonstratur. Ea est duplex: Propria, & Impropria.

Propria definitio constat ex genere & differentia. Quod nemo potest craſius explicare, quam facit Cicero ad Trebatium: Sic ueteres (inquiens) præcipiunt: cùm sum pseris ea, quæ sint rei, quam definiri uelis, cum alijs communia, usq; eo prosequi, dum proprium efficiatur, quod nullam aliam in rem transferri posſit. Ut si uolueris definiire hominem, primum sume animal, quod est commune omnibus animantibus: deinde adjice rationem, per quam differt ab alijs: postremò adde cognitionem D E I, quæ propriissima est differentia inter hominem & cætera animalia.

Proinde, secundum hanc traditionem hominem sic rectissime definies, Homo est animal rationale, ad cognitionem D E I creatus. Item, Vera philosophia est scientia, quæ ad humanam societatem recte conseruandam præcepta suppeditat. l.j. ff. de iusti. & iure.

Impropria definitio est quælibet rei designatio per ali-  
quas

quas causas. Vnde nuncupatur descriptio. Qualis est in l. i. ff. de legib. Lex (inquit Papinianus) est commune præceptum, uirorum, prudentium consultum.

Aliquando constat definitio ex priuatione contrariorum : qua uidetur uti Vlpianus in l. Quintus Mutius. §. ff. de aur. argen. mundo. Argentum factum (inquit) rectè quis ita definierit : quod neque in massa, neque in lamina, neque in signato, neque in supellectile, neque in mundo, neque in ornamentis sit. Pomponius in l. i. ff. de supellect. legat. Supellex est domesticum patrisfamilias instrumentum , quod neque argento auróue facto, uel uesti adnumeratur.

## F O R M U L A .

I. Adfirmando possumus argumentari à definitione hoc modo: Cui definitio conuenit, ei conuenit quoque definitum. Vel sic: Maxime conueniunt, quorum definitiones conueniunt.

II. Negando. Quorum definitiones discrepant, ea maxime differunt. Sic Vlpianus argumentatur l. alia causa est, in princ. ff. solut. matrim. iuncta l. maritum in id. Ibidem. Vbi diuersam rationem seu causam introducit inter hæredem extraneum, & defensorem mariti : quoniam diuersas habent definitiones. Hæres enim est, qui defuncto succedit : at defensor est, qui alieno nomine in iudicio consistit. l. hæreditas. ff. de reg. iuris. l. qui bona fide. § siue corporis. ff. de damn. infect. l. sed & ex personæ. §. defendere. ff. de procur. Ex hac ratione Vlpianus trahit consequentiam in l. minor xxv. an. ff. eod. tit. ibi, Quoniam autem defendere, est eandem uicē, quam reus, subire &c.

## I N F R A C T I O .

Ex uitiosa definitione, nō procedit ualida argumentatio.

f 3 vitium

Vitium autem definitionis cognoscitur. Primum, si non recte conuertatur cum suo definito adfirmative & negatiue. Deinde si ambigua sit, aut si non omnia sufficienter complectatur. Ut manifestus fur est, quem Græci ἀυτοφόρω appellant, qui in ipso fурto deprehenditur. l. iij. in princ. ff. de furt. Descriptio potius est, quam definitio. Vnde si ex ea colligas: Titius non est deprehensus in fурto: ergo non est fur manifestus: non subsistet. Quid enim si paulò post eo loci deprehendatur, in quem fурtum detulit? utiq; fur est manifestus. Instit. de oblig. quæ ex delict. nasc. §. manifestus fur.

Itaque si uolueris uitiosam, uel saltem impro priam definitionem cognoscere: animaduerte, num ea quæ in definitione adiecta sunt, solum pertineant ad rem quam definire intendis. Nam si alijs quoque possint accommodari, non potest iusta censeri, quamuis sit aliqua descriptio conferens multum ad percipiendam rem. Quod adparet ex definitione Seruij, quæ reprehenditur in l. j. §. dolum malum. ff. de dol. mal. Ut titur enim particula, Cum aliud simulatur, & aliud agitur: quæ & defensioni & solertia solet applicari.

Malè ligitur conuerteres definitionem dolis à Seruio traditam cum definito. Neq; enim dici recte potest, dolus malus est machinatio quædam, cum aliud simulatur & aliud agitur. Ergo quoties aliud simulatur & aliud agitur, toties admittitur dolus malus.

Præterea uitium definitionis deprehenditur ex ambiguitate eius quod definitur. Ambiguitas autem rei definiendæ nasci solet ex uaria significatione nominis. Quam ob rem definitionem rei debet præcedere certa uocis constitutio. Ut, si dolū uolueris definire, quandoquidē hoc uerbum,

**b**um, aliâs bonum aliâs malum dolum significat: declarandum prius erit, utrû dolum intendas definire. Ambiguitatem autem pulchrè declarat glossa per multas species in l. quoties in stipulationibus ambigua. ff. de uerb. oblig.

A B E T Y M O L O G I A ,  
& allusione uocabuli.

**E**tymologiam Cicero uocat Notationem: Aristoteles Symbolum, hoc est, ueram explicationē rei, ad finitatem uocis. Differunt itaq; Etymologia & Allusio uerbi.

Etymologia non principaliter uocem interpretatur, sed rem ipsam uoce significatam. Vnde Latine dici potest ueroloquentia. Et est species definitionis.

Allusio autem solam respicit uocabuli interpretationem. Igitur probabilem potius, quam necessariam facit probationem. Ut possessio, à sedibus, quasi positio. l. i. ff. de adquir. posse. Stipendum, à stipe: Dimissoriæ literæ, à dimittendo: Tugurium à tegendo. l. ager est. l. dimissoriæ literæ ff. de uerb. signific.

Quædam itē uocabula habet uarias allusiones. Ut, furtū à furuo, uel à fraude, uel à ferendo. l. j. in prin. ff. de furt. Item, Miles à mollitia, uel à multitudine, uel à malo, uel à Græco uerbo μέλιτη. l. j. §. ulti. ff. de milit. testam. Diuortium uel à diuersitate mentium, uel quia in diuersas partes eunt, qui distrahunt matrimonium. l. ij. ff. de diuort.

## F O R M U L A .

I. Ius ciuile appellatur, quod in ciuitate populi consensu statuitur. Sed hoc ius statutum est in ciuitate Hamburgensi, consentiente populo: ergo recte nuncupatur ius ciuile Hamburgense. Instit. de iure natur. gent. & ciuil. §. ius autem ciuile.

II. Precarium dicitur, quia precibus obtineri solet ad incertum usum. l.ij. & l.ij. ff. de precar. sed Titius impetravit hanc rem à Sempronio, ut ea aliquandiu uteretur: ergo Titius habet preario.

III. Eleganter Paulus in l.ij. ff. si cert. pet. Appellata est autē mutui datio ab eo, quod de meo tuū fit. Et ideo si de meo tuū non fiat, non nascitur obligatio. Errant tota uia, qui allusionis hic nudæ formulæ seu exemplum colligunt. Siquidē mutui datio uerbotenus non significat dominij translationem, sed uiciſtudinariā quandam paritatem. Ut, Mutuus amor, Mutuum odium. Et secundum hanc allusionem, do tibi uinum, ut reddas mihi uinum: neq; in hoc consistit iste contractus propriæ.

Voluit itaq; Paulus, non uocis, sed rei appellationem, & ipsam contractus naturam nobis ostendere per etymologiam. Propria enim natura mutui est, ut res quæ à me tibi datur, fiat tua: nihil alioquin utilitatis adlatura. Quid enim profuerit, si uinum, uel alias res meas pondere, numero, uel mensura consistentes diu habeas, & easdem mihi tandem restituas? Certe nihil. Cæterū si in dominium tuum uertantur, ut possis uti, & utendo consumere, alias q; eiusdem generis reddere, tunc senties utilitatem. Idq; est, quod ibidem dicit. Quoniam earum rerum datione possumus in creditum ire, quæ in genere suo functionem recipiunt per solutionem, quam specie. Phrasis est loquendi similis in l.ij. in si. ff. de iudi. l. si hominem, in prin. ff. deposit. l. recusare. s. Titius hæres. ff. ad se-natusc. Treb. l. qui pignoris. ff. de acquir. posses. Nos hodie diceremus: magis uel potius per solutionem, quam specie.

Res autem functionem recipiunt per solutionem, quando aliud pro alio datur. l. si quis aliam. ff. de solutionibus.

Specie

Specie res functionem sui propriè non admittunt, quia  
cædem restituuntur. d.l.ij.in princ.

III. Iuri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat. Est autem à iustitia appellatū, inquit grauiſſimè Vlpianus in l.j.in prin. ff.de iustit. & iure. Non enim utitur nuda uocis allusione, secundum quam Valla putat, iustitiam à iure dici: sed loco ab etymologia ducto, ueram iuris originē explicat & definit. Ius porrò, quod iubet omnia in humano commertio honestè fieri: descēdit re ipsa & appellatur à iustitia, hoc est, à cōstanti ac perpetua uolūtate seu cognitione honestatis, quam D E V s indidit cordibus hominū ad imaginē suā.

Itaq; non est possibile, ut quis intelligat uim & potestatem iuris, quo in foro utimur: nisi prius noscat prætentem eius causam, quæ est iustitia. Quis enim uel mediocriter eruditus non intelligat, Vlpianum in re tam graui, non fuisse sollicitum de grāmatica deriuatione? Quemadmodum Iulianus ait, Qui chirographum legat: non tantum de tabulis cogitat, sed etiam de actionibus, quarum probatio tabulis continetur.

V. Aliquando utimur ironicōs allusione uocabulorū. Cicero in Verrē: sed repente (inquit) ē uestigio, tanquam aliquo Circeo poculo factus est Verres: reddit ad se atque mores suos. Nam ex illa pecunia magnam partem ad se uertit: mulieri reddit quantulum uisum. Hæc ille. Sed Ironia, pungendi potius & irritandi, quam in rebus serijs adprobādi uim habet. Vnde talis petulantia relegari debet à sacrosancta iuris officina. l. quisquis. C. de postuland.

## I N F R A C T I O.

I. Aequitas sæpe uincit hanc ab Etymologia ratione-  
nationem, sicut & reliquas argumētationes plane omnes.

Ponamus

Ponamus enim, beneficium suisse nominatum concessum  
fœminæ, quæ moriens reliquerit filios. Disputabatur  
olim, utrum succederent matri? Argumētabantur adgnati  
hoc modo: Beneficium in quo filij succedunt, dicitur pa-  
ternum. Sed beneficium cuius est quæstio, uocatur mater-  
num: Ergo filij in eo non succedunt, secundum usum in  
beneficijs militaribus receptum. Sed secundum æqui-  
tatem dicamus filios debere succedere. tit. an marit.  
succed. uxor.

Vlpianus, I. stipulatio ista habere licere. §. hi qui  
sunt. ff. de uerb. obligation. Sed mihi uidetur, licet  
iuris uerba contineat hæc stipulatio, HABERE  
L I C E R E: tamen sic esse accipiendam, ut in seruo  
& filiofamilias videatur actum esse de possessione  
retinenda, aut non auferenda. Ut scilicet factum signi-  
ficent, quod & seruo & filio potest accommodari.

II. In nominibus proprijs cessat tā etymologia, quam  
allusio uocis. Non enim subsistit collectio. Petrus cognomi-  
natus est diues, Ergo diuitijs abundat. Ioannes nominatur  
Vuandilus, Igitur Vuandalia illi patria est. I. final. ff. ad  
municip. Item rescriperunt: Cum quæritur an  
municeps quis sit, etiā ex ipsis rebus probationes  
sumi oportere. Nam solam nominis similitudinē,  
ad confirmandam cuiuscō originē, satis non esse.

III. Argumentatio ab allusione uocabuli plerunque  
fragilis censetur. Natura enim rerum inductum  
est, ut plura sint negotia, quam uocabula, ait Vlpia-  
nus, ff. de præscript. uerb.

Bona ex eo dicuntur, quod beant, hoc est, prosunt. I. bo-  
norū appellatio. ff. de uerb. signific. Non sequitur: Ergo  
res quæ non prosunt, non uocantur bona.

Pignus, à pugno nuncupatur. l. plebs. ff. eod. tit. Male  
in ferres: igitur res quæ manu non est tradita, pignus dici  
non potest. Et ex diuerso: Non sequitur, Pugno traditum  
est, Ergo censetur pignus.

Testamentum, Iustinianus imbuendæ iuuentutis gratia,  
ex eo deducit: quod testatio mentis sit, Instit. de test. ordin.  
in prin. nō tamen ualet collectio, Ergo omnis testatio men-  
tis est testamentum. Interim etiam Iustinianus non negat  
alias deriuationes huius uerbi. Ut si dicamus, Testamentum,  
quasi testationem manentem. Cui pulchrè accedit de-  
finitio Vlpiani, l. i. ff. qui test. face. poss. Testamentum  
est uoluntatis nostræ iusta sententia, de eo, quod  
quis post mortem suam fieri uelit. Sicut enim anima  
non moritur cum corpore, ita consentaneum est, uolunta-  
tem quoq; hominis beneficio legum manere post mortem.

## A' CONIVGATIS

seu deriuatis.

**E**adem hic est significatio Coniugatorum & Deriu-  
torum. Nam coniugata dicuntur, quasi ipsa uocum si-  
militudine, ad unum iugum pertinentia. Deriuata, quasi  
more riuulorum ab uno fonte deducta. Ut, à Iustitia sunt,  
Ius, Iustus, Iuste, Iustitiarius, Iustificare. Nec semper una  
tantum uox, sed aliquando plures ab una uoce deriuantur.  
Ut, hæres, hæreditas, hæreditarium, Res hæreditaria, hæ-  
reditatem adire, hæreditatem petere.

Differētia tamen est inter hāc argumentationē, et supe-  
riorē ab etymologia, ab allusione itē uocabuli. Nā Coniuga-  
tio, seu deriuatio, cōfert uocē cū uoce: sed Etymologia unius  
tantū uocis significatiū explicat & definit. Quemadmodū  
etia allusio circa unam uocē uersatur obiter interpretandā.

Effectus

Effectus itaq; Coniugationis, uel Deriuationis, non est intelligendus grammaticos : sed ciuiliter & politicos. Est enim collatio uocum, ad eliciendam iuris & aequitatis similitudinem circa rem, cuius uertitur quæstio.

## F O R M U L A .

Coniugatorum seu deriuatorum eadem est iuris ratio: Sed haec sunt coniugata seu deriuata : Ergo habent eandem iuris rationem uel qualitatem. Tutor est, igitur habet ius tuendi. Insti.de tutel. §.tutores autem sunt. Aedituus est: Ergo iure fungitur tuendarum ædium. Ibidem. Caius amisiit ciuitatem : Ergo ius ciuium quoq; amisiit.

Ex hac coniugatione potest rursus alia duci sequela. Ut qui eo modo ex numero ciuium Romanorum tollitur, perinde quasi eo mortuo, desinant liberi in potestate eius esse, ait Iustinianus, Instit. quib. mod. ius patr. potest. sol. §. cum autem is.

Est procurator, itaq; habet ius pro alio curandi. l.j.l. ignorantis. l.pen. & l.ult. ff. de procur.

Aqua pluuiia nocens potest arceri, ergo aqua dum pluit nocens potest arceri. l.j. §.j. & §. in summa. ff. de aqu. plu. arcen. Si aqua pluuiia, uel que pluuiia crescit, noceat.

Hæres in ius omne defuncti succedit. l. cum hæres, in princ. ff. de diuers tempor. præscript. Ergo hæreditas est successio in uniuersum ius, quod defunctus habuerat. l. hæreditas. ff. de regul. iuris.

Cognitioni legauit, igitur legauit cognatis. l. si cognatis. in fi. ff. de reb. dub.

Ciuibus Hamburgensibus reliquit, igitur ciuitati Hamburgensi reliquisse censetur. l. ij. ff. eod. tit.

Conuersa quoq; haec colligendi formula procedit. Ut non tuetur, ergo non est bonus tutor. Non est iustum, ergo

Ergo non est uerum ius.l.j.in prin.ff.de iusti. & iure.

## INFRAC TIO.

I. Non procedit hæc argumentatio coniugationis seu deriuationis, si consequentia facti elicias. Non enim tenet hæc ratiocinatio: Tutor est, ergo tuctur. Quid enim minus aliquando faciunt tutores, quam tueri pupillum & bona eius? Sicut Iustinianus grauiter deplorat, Nouella, Ut qui se res mino. oblig. hab. perhi. Constit. lxxij.

Non recte item infertur: Testis est, ergo testimonium ueritatis dicit. Nouell. de testib. in prin. Consti. xc. Plericq enim testimonium dicunt, non in hoc, ut quæ gesta sunt, eluescant: sed ut aliquantò etiam obscuriora reddantur.

II. Aliquando materia quæstionis refragatur coniugationi seu deriuationi uocum. Et tunc cessat hæc argumentatio, ne iuris & æquitatis ratio euertatur. Ut ecce: Ponamus beneficiarum aliquem esse defunctum sine liberis masculis, filia tantum uel sorore relictæ. Hæc petens hæreditatem paternam uel fraternalm, sic argumētatur: Beneficium hoc uel illud est hæreditariū. Ergo debetur hæredi.

Antecedens probat: quoniam fuit concessum defuncto & hæredibus suis, quod solet appellari hæreditarium. Consequens autem uult demonstrare ex hoc loco à coniugatis.

Certe, tota iuris non scripti ordinatio, & recepta politia, repudiat hanc argumentationem. Est enim uerum, quod feudum hæreditarium nemo adquirat, nisi sit hæres defuncti beneficiarij, scilicet, masculus, non autem fœmina. Nam appellatio hæredum non porrigitur ad fœminas, nisi in litteris beneficiarijs, quas inuestitur appellant, nominatim exprimantur. tit. de his qui feud. dar. poss. §. hoc autem not. est. de alie. feud. §. sed diuersum. & de leg. Cōra. §. similiter.

## A CONNE XIS.

**C**onnexa hic sunt accipienda, quæ licet inter se diuersa, iunguntur tamen ad aliquem iuris effectum, uel priuato hominis arbitratu, uel publica legis autoritate.

Quomobrem nihil refert, utrum connexa nuncupemus, an commixta, uel coniuncta. Nam et individua ad hunc locum pertinent, sicut inferius adparebit.

Paulus, ff. de uerb. signi. Triplici modo coniunctos intelligimus. Aut enim re per se coniunctio continget, aut re & uerbis, aut uerbis tantum. Idem in l. re coniuncti. ff. de legat. iij.

## F O R M U L A.

I. Ex pluribus connexis elici potest iuris effectus, qui ex uno eorum separatis non posset inferri. l. Gallus. §. ille casus. ff. de liber. & posthum. Iuliano tamen uidetur duobus quasi capitibus legis commixtis in hoc quoque inducere legem, ne rumpantur testamenta.

Loquitur autem de lege Vellea, quæ uno tantum capite inspecto, non probat assertionem Iuliani: uerum duobus capitibus ad eandem sententiam coniunctis, optima reddit probatio. Legis Velleæ fit mentio in d.l. Gallus. §. & quid sit tantum.

Eodem modo, si duo testes adfirment de lustro tantum uno possessionis: certè non probatur usucapio, seu (ut uocant) præscriptio decennij. Cæterum si alij duo testes redendant fidem de alio quoque lustro, hoc est, de quinquennio eiusdem possessionis, absoluta erit probatio coniunctis hisce testimonij.

Similiter, ubi rei vindicatione utili instituta, probaueris rem ex pecunia tua emptam fuisse, nihil efficies. l. si ex ea pec.

pec. C. de rei vindic. Sin autem præterea ostenderis te esse militem, directò procedet iudicium. l. si ut proponis. C. eo. tit. Quod si minorem te xxv. annis probaueris, aut uxoris tuæ pecunia rem fuisse comparatam: utique & tunc supplebitur probatio, & tenebit utilis vindicatio iure subsidiario. l. ij. ff. quando ex fact. tut. l. curator. C. arbit. tutel. l. uxor marito. C. de dona. inter uir. & uxor.

Hanc utilem, frequentem, ac efficacissimam connectendi rationem, Romani olim grauiter significabant his uerbis, Probationi admouere: Hoc est, argumentis cumulatim adpositis aduersarium ita premere, ut exuberanter coniunctus uideatur. Admotum enim dicitur id, quod proxime adiectum, contingit rem cui applicatur. Quod & connexum hic uocamus.

Sic uera & genuina lectio restitui debet. in l. j. in princ. ff. de quæst. Ad tormenta seruorum ita demum ueniri oportet, cum suspectus est reus, & alijs argumentis ita probationi admouetur, ut sola confessio seruorum deesse uideatur. Corruptè enim legi sollet, A' probatione amouetur. Nam (rogo) qua fronte posset accusatus amoueri ac destitui probationibus?

I I. Plura simul collecta iuuant, quæ singula non prouunt. l. ij. §. j. ff. de testib. ibi: Non utiq; ad unam probationis speciem, cognitionem statim alligari debere. l. instrumenta domestica. & l. seq. C. de probationib. l. nec non & si quis. §. si quis saepius. ff. Ex quib. caus. maior. l. ij. in prin. ff. dc excusat. tut. & ibi glos. uerb. legitimis. c. cum causam. de probat.

I III. In connexis seu individualiis, utile uitiatur per inutile. l. Pedius. libro nono. §. in seruum. ff. de recept. arb. Si in Titium & seruum compromissum sit: nec

g 2 Titium

**T**itium cogendum sententiam dicere, quia cum alio receperit. Idem in l.j. §. item queritur. ff. de aqua cotidi. & æsti. Ego Ofilio adsentio, non posse diuidi. Et in §. seq. Quod est uerum: quia pecora separari possunt. Probatur in l. plane ubi transferre, in prin. ff. de legat. j. l. plerunq; propter. & l. ædiles aiunt. §. fin. ff. de ædil. edict. Nisi si separari non possint.

**E**t hoc modo conciliatur regula de utili non uitiando per inutile. c. utile. de reg. iuris lib. vj. l. j. §. sed & si mihi. & l. quæ extrinsecus. ff. de uerbo oblig. l. pecuniae fœnebris. in prin. ff. de usuris.

**I** I I I. Vbi plura coniunctim exiguntur, à lege uel ab homine, ibi non sufficit unum fieri, aut probari. l. Fulcinius §. j. ff. quib. ex caus. in posse. eat. Cum hoc edictum locum habet, non sufficit latitare: sed & necesse est fraudationis causa id fieri, neçp; fraudationis causa, si sine latitatione sit, satis est ad possessionem & uenditionem.

**I**dem, in l. si per alium. ff. ne quis eum qui in ius uoca. Docere autem debet quis per hanc exemptionem factum, quo minus in ius produceretur. Itaque non sufficeret probari alterum, scilicet, uel exemptum fuisse, uel non productum in ius.

**P**aulus, ff. de condi. instit. Si hæredi plures conditio-nes coniunctim datæ sint, omnibus parendum est: quia unius loco habentur. Sed si disiunctim sint, cuilibet.

**V.** Quæcumque ob utilitatis rationem lex scripta, uel non scripta, uerat diuidi, & uult integræ conseruari: ea quo-uis modo non possunt diuisim adquiri, neq; retineri, neque alienari. l. ij. in prin. ff. de uerb. oblig. Quædam non re-cipiunt:

cipiunt: ut in his, quæ natura diuisionem non admittunt: ueluti cùm uiam, iter, actum stipulamur. *l.* eadem dicemus. §. Cato. ff. eo. ti. Quia quod in partes diuidi non potest, ab omnibus quodammodo factū uidetur. *idem in l. in executione.* §. secunda. ff. eo. ti. Quia operis effectus in partes scindi non potest. Effectus, hoc est, profectio, quæ tota, aut accedit, aut abest operi.

Exemplum huius argumentandi formulæ admodum insigne est in tit. de prohib. feud. aliena. per Frid. Præterea, Ducatus, Marchia, Comitatus, decæterò non diuidatur: aliud autem feudum (si consortes uoluerint) diuidatur.

Ratio sumpta fuit ab isto loco connexorum. Vniuersitas enim regalis, & si multa contineat bona inter se diuisa, ciuitates, castra, uillas, iurisdictiones, & cætera id genus: indiuiduitatem tamen introducit publica imperij utilitas. Nam si per ullas diuisiones lacerarentur huiusmodi ditiones: certè non diu constarent: & per consequens imperium, cuius sunt membra, deminueretur paulatim in ea, qua nunc est forma.

Sed dices: Nonne cotidie uidemus diuidi inter principes beneficia regalia? Respondeo: Non diuiduntur propriè, uel perpetuo iure: quoniam Tituli, dignitates, & iura beneficiaria manet integra familiæ. Administrations tantum & emolumenta separatim possidentur, ad evitandam consortium discordiam. Cur enim ad arma & rixam procedere patiatur prætor, quos potest iurisdictione sua componere. *l. si cuius rei.* §. sed si inter duos. ff. de usufruct. Et Paulus, *l. in re communi.* ff. de serui. urb. præd. Itaque propter immensas contentiones plerunque res ad diuisionem peruenit.

Aliud exemplum est de principali & accessorio: quæ inseparabiliter sunt eiusdem naturæ ac qualitatis connexa. l.j.C.de codicill.leos qui principali,in princ.C.de usuris.l.nihil dolo.¶.cùm principalis. ff.de reg.iuris. Et c.accessoriū eo.tit.lib.vj.

## I N F R A C T I O.

Si plura connectantur, quæ ad diuersum tendunt finem, non potest subsistere hæc argumentatio. Nam ad faciēdā ratiocinationem ualidam, oportet talia iungi, quæ inuicem sibi possint patrocinari, & concinnè censemantur applicata. l.si idem cum eo. ff.de iurisd. Vbi quantitas plurium actionum, non potest coaceruari ad excludendā iurisdictiōnem magistratus. Quid enim actio commune habet cum actione? l.usuræ. C. de usuris. l.sancimus. ¶. si quis autem talem. C.de donat. & l.j.C. qui nume.tutela. Sed imperfæctæ diuersæ species uacationis, licet permixtæ, ad excusationem non proficiunt.

Huc referendum est illud, quod rectissimè dici solet, Allegationem seu probationem extra causam de impertinentibus articulis factam, nullius esse momenti. l.ad probationem. C.de probationib.

I I. Sæpe ita comparatum est, ut & coniuncta pro disiunctis accipiāntur, & disiuncta pro coniunctis. ff.de uerb.signifi. l.cùm quidam. C.eo.tit.utrobiq; sunt exempla.

## A' CORRELATIVIS.

**C**orrelatiua, aliâs relata, aliâs ad aliquid dicta, censemantur ea, quæ secundum hoc ipsum quod sunt, aliorum prorsus dicuntur, hoc est, quæ nisi possint ad aliud referri, non existunt in rerum natura. Ut, Dominus non est, qui non

non habet seruum. Et contra. Seruus non est, qui non habet dominum. Pater item filij pater est: & ex diuerso, Filius patris filius est.

Totum deniq; non potest dici, quod partes non habet. Et ex contrario, Partes esse non possunt, quae non habent totū.

Præterea, sunt correlatiua, quæ propter mutuam inter se considerationem contrarij effectus circa eandem rem, dicuntur contraria relata. Veluti, Adquirere & Admittere, Obligari & Liberari, Emere & Vendere, Contrahere & Distrahere: cæteraq; id genus.

## F O R M U L A.

I. Posito uno correlatiuorum, ponitur & alterum. Rursus, sublato uno, tollitur quoque alterum. Si ponas Titum ex locatione obligatum: necessariò fateberis, Lucium ex conductione eiusdem contractus obligari. Et contra: Si adseras Titum per acceptilationem, aut per alium modum fuisse liberatum: certè frustra negaueris, Lucium liberari ex eodem contractu. l.f. ff. de acceptil. Vbi Paulus in hoc reprehendit Labconem, his uerbis: Vtrinque per acceptilationem, tametsi ab alterutra parte duntaxat intercessit, liberantur obligatione.

Eleganter Iustinianus, l.f. C. de indic. uid. toll. Legem Iuliam Miscellam, quemadmodum in foeminis sustulimus: ita & in masculis esse sublatam, &c.

II. Quicquid iuris in uno correlatiuorum statuitur, id in altero quoq; statui censetur. Quemadmodum dotes sunt conseruandæ mulieribus per hypothecam tacitam priuilegiariamq; Ita & maritis donationes propter nuptias. l.j. §. & ut plenius. C. de rei uxori. actio. Ita & in huiusmodi actione damus ex utroque latere hypothecam. Gloss. in §. sed tamen Instit. de donat.

Sicut in casu soluti matrimonij cauendum est uiro: Ita & mulieri cautio erit exponenda mulieri de indemnitate l. si filiofamiliâ dos. §. fin. ff. solut. matri.

Condemnatur maritus uxori, & dotis, & quorumcunq; contractuum nomine, in quantum facere potest. Quod & in persona mulieris æqua lance seruari æquitatis ratio suggerit. l. non tantum, in fin. ff. de re iudic.

Grauiter Vlpianus, ff. de reg. iur. Non debet actori licere, quod reo non permittitur. Idem l. quid tamen. §. sed & si in aliquem. ff. de recep. arb. Absurdum enim esse, iussum in alterius persona ratum esse, in alterius non. Idem in l. patre furioso. ff. de his qui sui uel alie, iuris sunt. Nam cum consistat matrimonium altero furente, constat & utroq;

III. Correlatiuorum quoq; contrariorum eadem est iuris ratio. Vlpianus, ff. de reg. iuris. Nihil tam naturale est, quam eo genere quodq; dissolui, quo colligatum est. Ideo uerborum obligatio, uerbis tollitur: nudi consensus obligatio, contrario consensu dissoluitur.

Paulus, ibid. Ferè quibuscunq; modis obligamur, ijsdem in contrarium actis liberamur: cum quibus modis adquirimus, ijsdem in contrarium actis, amittamus. Idem. ff. de adquir. posses. Quemadmodum nulla possessio adquiri nisi animo & corpore potest: ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est.

Sicut in petitione hæreditatis distinguitur, utrum reus conuentus necessario aliquid emerit, an non: Ita refert, utrum hæreditatis interfuerit aliquid uendi, an non. l. item ueniunt §. j. & §. simili modo. ff. de peti. hæred.

Vt in contractibus obseruatur consuetudo loci : aliás in quo negotium gestum est. l. si fundus. ff. de cuiet. aliás in quem collata est solutio.l.contraxisse. ff.de act. & obliga. l.uinum,in fin. ff.si cert.petat.aliás iudicij.l.iiij.in fin. ff.de testib. Ita et in distractu,cùm de repetitione tractatur, consuetudinē oportet respicere.l.qui loco. ff.de cond. indeb.l. exigere dotē. ff.de iudi. Tractatur in l.j.in prin. ff.de usur.

Sicut iurans obseruare contractum , omnino tenetur etiam minor : Ita & qui distractum iurauit. Constit. sacramenta pub. C.si aduersuend. c.ij.de pact.lib.vj.

Quemadmodum contractus , dolo malo cœptus , ipso iure nullius momenti est : sic & dissolutio contractus , cui dolus malus occasionem præbuit , non prodest ad liberationem l.de tutela.C.de in integ.restitu.minor. Vt, contractus præstat titulum usucapiendi:sic & nonnunquam distractus. l.Pomponius refert. §. si is qui precario. ff.de adquir posseß.

1111. Vbi est lucrum uel emolumentum , ibi damnū quoq; aut onus esse oportet. Et contra. Vbi est onus uel damnum , ibi non est præripiendum commodum. Inslt. de legit.patr.tut. Quia plerunque ubi successionis est emolumentum,ibi & tutelæ onus esse debet.

Ex diuerso Paulus, ff.de reg.iuris. Secundum naturam est , commoda cuiusque rei consequi eum, quem sequentur incommoda.

Accedit l. Julianus libro decimoquinto. §. si procurator. ff.de act.empti. Vbi,cùm alijs aduersus dominum detur utilis ex empto actio : æquum est , ut per contrarium detur ei quoq; hæc eadem actio utilis aduersus alios.

## INFRAC T I O.

I. In qualitatibus correlatiuorum proprijs, non pro-  
g 5 cedit

cedit hæc argumentatio : sed in communibus ualeat.

Parentes habent liberos suos in potestate. Instit. de patria potesta. l. nam ciuum. ff. de his qui sui uel alien. iuris sunt. Male profecto colligeres, ergo liberi habent parentes quoque in potestate. Nam pietatem & reuerentiam liberi parentibus debent. l. j. l. liberto. & l. sequen. ff. de obsequiis libert. & liberis. l. ueluti. ff. de iusti. & iure.

Parentes habent ius emendandi liberos. l. j. C. de emendat. propinq. Sed minimè gentium liberi parentes. d. l. j. §. si filius. Ius enim patriæ potestatis, & emendatio, sunt propriè parentum qualitates : liberis nullo modo conueniunt. l. iij. C. de patr. potest.

Sin autem qualitatem ponas generaliter utrique correlatiuorum communem, ualeat ratiocinatio. Ut, parentibus licet ex legitima causa exhæredare liberos. Et contra, liberis permittitur ob legitimam causam exhæredare parentes. Sed huiusmodi causæ exhæredationis non sunt eadem in specie. Nouell. Ut cum de appellat. §. ad hæc aliud. & §. atq; hæc quidem. Constit. cxv.

I.I. Quando alteri correlatiuorum superuenierit causa, quæ non est in altero, tunc male ex eis colligitur argumentum. Julianus, ff. de pact. Si conuenerit, ne dominus à colono quid petat, & iusta causa conuentionis fuerit : nihilominus colonus à domino petere potest. Causa enim petendi superuenit colono post tempus conuentionis.

Eleganter Marcellus, ff. de rit. nupt. Observandum est, quod inferioris gradus homines, ducant uxores eas, quas hi, qui altioris dignitatis sunt, ducere legibus propter dignitatem prohibentur.

At

At contraria antecedentis gradus homines non possunt eas ducere, quas ijs qui inferioris dignitatis sunt, ducere non licet.

*Ecce homines inferioris gradus, & homines antecedentis gradus habent mutuam inter se relationem: Non tamen in utrisq; statuitur idem ius, quatenus ad nuptias attinet: quia in hominibus altioris dignitatis est alia ratio.*

AB ANTECEDENTE  
& consequente.

**N**ihil moror quod nonnulli putant, ab antecedentibus & consequentibus non esse locum uel sedem, sed formulam quandam argumentandi, sicut Syllogismus, enthymema, & reliquæ sunt formulæ. Nam quid opus est ista curiositate subtili & uana? Argu. l. sicut re corporali. §. si debitori. ff. quib. mod. pig. uel hypothec. soluit. Hę enim subtilitates à iudicibus non admittuntur. Sit enim utrumque in disciplina ciuili, hoc est, sit locus & simul formula colligendæ ratiocinationis. Nam præter structuram membrorum, utique antecedentia & consequentia, generaliter appellari possunt ea, quæ inuicem sibi cohærent, ac per illationem monstrant ius præteritum, uel præsens, uel futurum esse. Itaque antecedens est thesis, ex qua dicitur aliquid adfirmando uel negando. Consequens est sententia ex antecedente ducta, uel semel uel iterum. Nam eadem propositio potest esse consequens antecedentis: & rursus ponи pro antecedente alterius consequentis, nouo quodam ductu. Cām nihil prohibeat sequelam uehi longius per multas illationes rerum adiunctarum. Ut, Publicè interest, dotes mulieribus conferuari: ergo dotium causa semper & ubique præcipua est.

est.l.j. ff. soluto matrimonio.

Ex hoc consequenti, denuò potest fieri antecedens, hoc modo: Dotum causa semper & ubique præcipua est: ergo multis donatur priuilegijs, & constitutio, & exætio dotis.l.ad exactionem. C.de dot. promiss.l.j. C.de rei uxoris.act.l.ubi adhuc. C.de iure dot.l.assiduis. C qui potio. in pignor.hab. Ecce, sequela prioris argumenti, antecedens est posterioris. Cuius generis exempla in Pandeclis reperies infinita, si Iurisconsultorum probationes expendas, & interim obserues quid ex præcedentibus inferant.

F O R M U L A .

I. Qui fatetur antecedens, is cogitur quoque fateri consequens. Et contra: Qui negat antecedens, is intelligitur negare & consequens. Mutui contractus est, ergo & obligatio mutui. E contrario: Non est mutui contractus, ergo nec obligatio mutui. l. ij. §. appellata. ff. si cert.petat.

Iudex intra territorium suum habet iurisdictionem, ergo subditi debent ei obtemperare.l.j.in princ. & §. j. ff. si quis ius dic. non obtemp. Nouell. vt omn. proi. in. magistr. obtemp. §. j. Constit. lxvij. extra territorium non habet. ergo impunè ei non paretur.l.fi. ff. de iurisd.

Iabolenus, l.ij. ff. de iurisdict. Cui iurisdictione data est, ei quoque concessa esse uidentur, sine quibus iurisdictione explicari non potuit.

Vlpianus, l.j. §. j. ff. si ususfruct.petat. Ususfructus legatus adminiculis eget, sine quibus uti frui quis non potest. Et ideo si ususfructus legetur, necesse est, ut sequatur eum aditus. Vnde si quis aditum neget, ipsum censetur usumfructum negare. Quam calliditatem ut euites, obserua.

Idem,

*Idem, ff. de procur.* Qui procuratorem dat, ut confessim agat: is intelligēdus est permettere procuratori, & postea litem peragere. *Idem, in l. patre furioso. ff. de his qui sunt sui uel ali. iur.* Nam furiosus, licet uxorem ducere non possit, matrimonium tamen retinere potest. Quod cūm ita se habet, in potestate filium habebit.

*Paulus, ff. sol. matrim.* Et desinit seruus in dote esse, quia cui manumittendi causam donare licet, ei quodammodo donaret, quod permetteret manumittere. *Iunct. l. præceden.*

*Vlpianus, in l. sed et si res. ff. de public.* Marcellus libro decimo septimo digestorum scribit: eum qui à furioso, ignorans eum furere, emit, posse usuapere, ergo & publicianam habebit.

*II.* Concessa re aliqua, rēfentur omnia concedi, quæ necessariò præcedunt aut sequuntur. Veluti, cūm seruo datur olim hæreditas, reputabatur simul etiam dari libertas, sine qua ad hæreditatem perueniri non poterat. *Instit. quib. ex caus. manum. non lic. §. idemq; iuris.* Cūm non sit uerisimile, eum quem hæredem sibi elegit, si prætermisit libertatis dationem, seruum remanere uoluisse, & ne minem sibi hæredem fore.

*Pomponius in l. illud dubitari. in fi. ff. de adquir. hæred.* Sicut si legitimam uelim ad me pertinere, cūm sciā testamento mihi relictam: uidebor ante repudiare testamentum, & ita legitimam adquisīsse.

*Procurator datus ad petendam rem mobilem uel legatum: existimabitur simul etiam dari, ut experiatur ad exhibendum, uel, de tabulis exhibendis. l. ad rem mobilem. & l. ad legatum. ff. de procur.*

III. Prohibita re, intelliguntur omnia quoq; prohiberi, per quæ peruenitur ad e.m. Vlpianus, ff.de rit. nup. Oratio Imperatorum Antonini & Commodi, quæ quasdam nuptias in persona Senatorum inhibuit, de sponsalibus nihil locuta est: recte tamen dicitur, etiā spōsalia in his casibus ipso iure nullius esse momenti: ut suppleatur quod orationi deest.

Si quando Imperator noster uoluerit iudicia recte constitui in foro: necessum est, ut prius emendet scholasticas professiones, per quas adolescentes ad iudicariam functionem recte exercendam preparantur: sicut grauiter animaduertisse uidetur Iustinianus in Constit. digesto. j. 5. nostram autem consummationem. Et iterum, Constit. iiij. §. hoc autem quod.

#### I N F R A C T I O.

I. Hæc argumētatio potest toties eleuari, quoties consequens temere ducitur ex antecedente, propter rationem iuris in consequentiæ casu repugnantem. Ut, si quis sciens se non esse Magistratui subiectum, consentiat in eius iurisdictionem. Deinde, uolens euitare iudicium, argumentetur ex hoc loco. Non sum subieclus uestræ iurisdictioni: ergo suscipere cognitionem uestram non teneor. Certè, consequens non cohæret cum antecedente, quia subiecit se per consensum. l. j. & l. ij. in princ. ff. de iudi. Inter consentientes, cuiusuis iudicis, qui tribunalí præest, uel aliam iurisdictionem habet, est iurisdictionis.

Mandauit aliquis (pone) procuratori negotia sua generaliter. Male profectò inferres, ergo transigendi potestatem uidetur cedisse. l. mandatu. generali. ff. de procur.

Siquidem quælibet oratio generalis, seu uniuersalis, reuocatur ad uerisimilem autoris mentem, nec patitur omnes

omnes ex se trahi sequelas, etiam si iuramentum interueniat.l. obligatione generali. & l.seq. ff. de pign.l. si libertus ita iurauerit. ff. de oper.libert.

II. Quando antecedens nimium excedit consequentiam, tunc falsa est illatio. Ut, si colligas tali modo: Testator reliquit seruo suo legatum, ergo uoluit eum esse liberū. Non tenet consequentia: Libertatis enim aestimatio in tantum excedit legatum, ut nullam habeat cum eo cohærentiam.l. pen.C. de necess. & seru.hæred.instit. Illo uide licet obseruādo, ut si legatum uel fideicommissum eis sine libertate relinquatur, maneant in seruitute.

Eadem ratione non est probabilis sequela hæc: Filia est hæres alicuius principis sine filijs defuncti: ergo habet ius hæreditarium in omnibus planè bonis totius ditionis. Nam sequela multò patet latius, quam antecedens propositio de hærede. Siquidem Hæretas, etiam sine ullo corpore, iuris intellectum habet.

Melior autem cōsequētia est hæc: Fœminæ nō habent hæreditariam successionem in beneficijs regalibus: ut tractatur in tit.de alien. feud.in fi. & tit.de feud. marchi. uel ducat. uel comitat. ergo non habent petitionem hæreditatis hoc casu. Habet tamen titulū dignitatis honorarium, elo- cantur honestis dotibus, et habet legitimā naturæ pecunia- riā, uel usufructuariā pro cōditione ditionis et personarū.

III. Si rationes antecedentis & consequentis cohærent quidem: sed ad tempus tamen, quo finito separatae censeantur, utiq; non potest subsistere argumentatio.

Administrans officium in prouincia non poterat olim inde oriundam, uel domicilium ibi habentem, uxorem du- cere: deposito autem officio licebat.l. si quis officium. ff. de rit.nupt. Eo itaq; aut simili casu non procederet illatio:

Officialis

Officialis non potest ducere uxorem in prouincia, ergo nec sponsalia contrahere. d. l. si quis offic. Quamuis sponsare non prohibeatur.

Nec obstat l. oratio. ff. cod. tit. superius allegata: quoniam in persona Proconsulis erat perpetua inhibitio, in alijs autem non æquè.

Vt autem commode discernas: utrum necessaria sit hec argumentatio, an uero possit refutari: resolute totam antecedentis & consequentis structuram in simplicem thesim, seu propositionem. Nam si ea fuerit extra dubitationem uera, minimeq; ambigua: non potest etiā impugnari collectionis formula. Siquidem simplices propositiones per se possunt faciliter & certò iudicari.

Vt ecce: Mutuum est re contractum, ergo obligatio ex mutuo est re contracta. Resolute sic: Mutuum est obligatio re contracta. Propositio est uera simpliciter, ideoq; in formulam antecedentis & consequentis separatis redacta, non potest eleuari.

Legatus est ususfructus fundi, ergo haeres debet praestare uiam ad eundem fundum. Resolute hoc modo: Legato usufructu fundi debetur uia ad eum. Thesis non est simpliciter uera: unde nec argumentatio simpliciter obtinet. Nam potest aliquando iter ad usumfructum percipendum sufficere. l. j. §. fi. ff. si ususfr. petat.

#### A DIFFERENTIBVS.

Differentia sunt, quæ substantijs quidem inter se dimouentur: non tamen pugnant. Vnde nihil refert, utrum differentia nuncupes, an separata, uel diuersa.

Trifariam autem censentur res differre: Scilicet Genera, quæ diuersorum sunt generum: ut, Contractus inter uiuos,

uiuos, ultima uoluntas. Specie, quæ diuersarum sunt spe-  
cierum: ueluti, Emptio, Commodatum. Individuo, quæ sin-  
gulæ distant inter se: ut, Emptio Lucij, Emptio Titij: Te-  
stamentum Caij, testamentum Sempronij.

In iure autem crassius intelliguntur differentia seu di-  
uersa, quæcumque per aliquam qualitatem & circumstan-  
tiam dissimilia sunt. Idcirco huc referenda est argumentan-  
di formula, quam Cicero à dissimili uocat, De orato. Lib. ij.  
Si barbarorum est in diem uiuere, nostra consilia  
in sempiternum tempus spectare debent.

## FORMULA.

I. Ad positionem unius rei, siue in genere, siue in specie,  
siue in individuo: censentur aliæ res eiusdem generis, spe-  
ciei, uel individui prorsus remoueri.

Vlpianus in l. Quintus Mutius. ff. de aur. arg. mund.  
Argento omni legato, quod suum esset, sine dubio  
non debetur id quod in credito est. Multum enim  
differt, in arcane positum sit argentum, an in tabu-  
lis debeatur.

II. Separatorum, separata est ratio iuris. l. j. §. cum  
prædium. ff. de pignor. Pignoris etenim causam nec  
usucapione perimi placuit: quoniam quæstio pi-  
gnoris, ab intentione dominij separatur.

Vlpianus in l. iusurandum & ad pecunias. §. non sem-  
per. ff. de iureiur. Forsan ex diuersitate rerum uel  
personarum quibusdam emergentibus, quæ uarie-  
tatem inducunt.

Quemadmodum uno collyrio non oportet ad instar im-  
peritorum medicorum, oculis omnium mederi, teste Hiero-  
nymo, Distin. xxix. c. ulti. Ita pernitosissimum fuerit, si in  
omnibus hominum negotijs porrò infinitis, una tantum uel

altera iuris formula adhibeat: quin potius differentiam personarum, & rerum, definire oportet diuerso iure.

Vlpianus in l. Papinianus. libro secundo. ff. de minorib. reprehendens Papinianum: Non recte: Quid enim commune habet delictum cum uenia ætatis? Et perpende hic Papinianum ipsum iuris Asylum, non satis perpendisse negotiorum differentiam.

III. Ex diuersitate rerum, personarum, & temporum omnes leges conciliantur. Iustinianus Const. digest. iii. Contrarium autem aliquod in hoc codice positum, nullum sibi locum vindicabit, nec inuenietur, si quis subtili animo diuersitatis rationes excutiat: sed est aliquod nouum inuentum, uel occulte positum, quod dissonantie querelam dissoluit, & aliam naturam inducit, discordiae fines effugientem.

Probatur xxix. Distinct. c. j.

### A CONTRARIIS.

**C**ontraria sunt, quæ non solum substantijs sunt separata, sed etiam pugnant inuicem. Vnde hunc locum, à repugnantibus quoq; recte dixeris. Censetur autem contraria, aliás immediate, aliás mediate. Immediate contraria sunt, quæ adeò sese mutuo non compatiuntur, ut nullum admittant medium. Vnde Cicero nuncupat Valde contraria, & Negantia. Proculus per disunctionem, & subdivunctionem describit. l. hæc uerba, ille aut ille. ff. de uer. sig. Disiunctuum est, ueluti cum dicimus, A V T D I E S , A V T N O X E S T : quorum posito altero, necesse est tolli alterum. Horum contrariorum natura est, ut quemadmodum eodem tempore non potest utrumq; esse: ita nec neutrum, sed alterum existat oportet.

Mediate

Mediate uero contraria sunt, quæ opponuntur quidem, sed medium tamen quoddam admittunt, & neque prorsus ponunt, neq; tollunt sese mutuo. Nam aliâs utrumque, aliâs neutrum esse potest. d. l. hæc uerba, ille aut ille. Subiuncti autem genera sunt duo. Vnum, cum ex propositis finibus ita non potest utrumque esse, ut possit neutrū esse: ueluti cum, AVT SEDET, AVT AMBVLAT. Nam ut nemo potest utrumque simul facere, ita aliquis potest neutrū: ueluti is, qui accumbit. Alterius generis est, cum ex propositis finibus ita non potest neutrū esse, ut possit esse utrumque: ueluti cum dicimus, OMNE ANIMAL AVT FACIT, AVT PATITVR. Nullum enim animal est, quod nec faciat, nec patitur. At potest simul & facere & pati.

Meum & tuum item sunt contraria adfirmando. Nam quod meum est, id tuum esse non potest in solidum. l. si ut certo. §. si duobus. ff. commod. Sed habent tamen medium negando. Quandoquidem uere dici potest, neq; meum neq; tuum esse id, quod forte alterius sit tertij, aut nullius. Instit. de rer. diuisio. §. uniuersitatis. & §. nullius.

Facit deniq; simul & patitur, qui duplarem actionem instituit. Nam uterq; litigatorum, & actor & reus inteligitur. l. in tribus iudicijs. ff. de iudi. l. inter cohæredes. §. qui familiæ. ff. fami. erciscun. l. iudicium communi diuidundo. ff. fini. regund. l. ij. §. fi. ff. commu. diuidun. Instit. de interdict. §. tercia diuisio.

Hanc argumentandi speciem iuris professores A' contrario sensu, uocare solent. Romanus Pontifex appellat, Indirectum sensum, seu intellectum. c. cum apostolica, in fin. de his quæ si. à præla. sine consensu. capit.

Ad explicandam autem crassiū uim huius loci, non est ignorandum, Quod contraria, opposita, seu repugnantia censentur quatuor modis.

Primo: Contradictoriē: ut si adfirmatiū & propositioni adiicias negationem, Titius est hæres ab intestato, Titius non est hæres ab intestato: contraria sunt per contradictionem meram atq; insolubilem.

Secundo: Relatiue: ut, locator, conductor: testator, hæres. Hæc enim opponuntur per mutuam relationem. Quippe, quod locator non potest esse conductor: & interim tamen alter refertur ad alterum.

Tertiō: Habitū & priuatione: ut, Visus, cæcitas. Item, auditus, surditas. Habitus enim significat rem adesse. Priuatio significat abiisse. Iam adesse aliquid & abesse uno eodemq; temporis momento, contraria sunt & opponuntur. Rursus, nihil potest abire uel desinere, quod aliquando non fuerit.

Hinc duci solet argumentatio. Priuatio præsupponit habitum. l. manumissiones. ff. de iusti. & iur. l. decem stipulatus. ff. de uerbor. obligat. Dum dicit: Non liberatur Mævius, qui nec tenetur. Pomponius ff. de reg. iuris. Non uidetur rem amittere, cuius propria nō fuit. Et Paulus, ibi: Non potest uideri defuisse habere, qui nunquam habuit. l. remittit. in fi. ff. de iure iurant. Nam quod susceptum est, remitti debet.

Quartō: Res pleræq; sui natura inuicem sibi repugnant. De quibus suprà dictum est.

V I. Cum diuersa pro contrarijs adsumuntur, uitiosa fit argumentatio. c. cum apostolica. de his que fi. à prælat. Autoritates enim præmissæ licet diuersæ sint, non tamen aduersæ.

## FORMULA.

I. Posito altero ex immediate contrarijs, tollitur alterum: Et ex diuerso, Sublato altero, ponitur alterum. Ut ecce: qui ponit aliquid iuste factum esse, is negat iniuriam. Et, qui negat iure factum, is adserit iniuriam eiusdem facti.

Quod propter absentiae necessitatem alicui specialiter conceditur, id negatur praesenti. Papinianus, l. i ff. de offic. eius cui mandat, est iuris. Huius rei fortissimum argumentum, quod lege Iulia de ui, nominatim cauetur: ut is, cui obtigit exercitio, possit eam, si profiscatur, mandare. Non aliter itaque mandare poterit, quam si abesse coepirit.

Mulierem adulterij damnatam testem produci lex Iulij uetat, Ergo non damnatam admittit. l. qui testamento. §. mulier. ff. qui testamen. facer. po.

Caius, ff. de uerb. signifi. Nam quem sine liberis esse dicere non possumus, hunc necesse est ut dicamus liberos habere.

Vlpianus, l. Pomponius scribit. § sed & is. ff. de procur. Nam cum iudicatur rem meam esse, simul iudicatur illius non esse.

Paulus, l. lege Iulia. §. non autem obest. ff. de rit. nupt. Sed de hoc casu contrariam legis sententiam esse, Pomponius recte putat, ut eis non connumeretur.

Facit l. sed & pupillus. §. si institoria. ff. de instit. actio.

II. Contrarioꝝ eadem est disciplina. Haec autem formula dupl̄cem habet usum. Alterum, ut disciplina accipiatur pro cognitione. Nam cognito uno ex contrarijs, non potest alterius ignoratio contingere. Iustinianus, Instit. de his qui sui uel alie. iuris. §. j. Videamus itaque de his, quae alieno iuri subiectae sunt. Nam si cognouerit-

b 3 mus,

mus, quæ istæ personæ sunt, simul intelligemus, quæ sui iuris sunt. Repetitur hoc ex l.j.in princip. ff. eod.tit.

Alterū uero usum complectitur ista formula, ut disciplina intelligatur pro iure seu ordinatione politica. Siquidem contrariorum eadem est iuris definitio, relatione facta ad unam eandemq; rem.

**T**empus non potest introducere obligationem, Ergo tempus nec liberationem introducit. l. obligationum ferē, in prin. ff. de actio. & oblig. l. si certis annis. C. de pact.

Sceuola, l. fi. in fi. ff. de legat. iij. Quomodo enim augetur, ubi amplius est in bonorum possessionem: sic & ubi minus est, deducitur. Accedit l. quod in re- rum. §. si quis post. ff. de legat. j.

**I**ulianus, l. ex duobus, in prin. ff. de uulga. & pup. substi. Quia supremus non is demum qui post aliquem, sed etiam post quem nemo sit intelligitur. Sicut & è contrario, proximus non solum is, qui ante aliquem, sed etiam is, ante quem nemo sit, intelligitur.

**I**dem in l. scq. Ut quemadmodum portio quæ per bonorum possessionem accessit, auget legata: ita & hic quæ abscessit, minuat.

**V**lpianus, l. nihil tam naturale. ff. de reg. iuris. Ideoq; uerborum obligatio, uerbis tollitur: nudi consensus obligatio, contrario consensu dissoluitur. De nudo consensu est l. ab emptione. ff. de pact.

**I**ustinianus Insti. de societ. Illud expeditem est, si in una causa pars fuerit expressa, ueluti in solo lucro, uel in solo dāno: in altera uero omissa: in eo quoq; quod prætermissum est, eandem partem seruari.

**F**undus in solutum datus, pluris uenditur à creditore suo

*Suo lucro: sicut per contrarium minoris, suo damno. l. penult. C. de solutionib.*

III. Quidquid publicè uel priuatim statuitur, fit, aut dicitur in unum finem: id eatenus est accipiendum, ne in contrarium torqueatur. Nulla iuris ratio, aut æquitatis benignitas patitur, ut quæ salubriter pro utilitate hominum introducuntur, ea nos duriore interpretatione contra ipsorum commodum producamus ad seueritatē. ff. de legi. & l. quod fauore. C. eo. ti.

Qui legat uxori bonorum suorum usumfructum: is non potest dici legasse cellas uinarias uel olearias, quia pugnaret cum seipso. Abusus enim in his est: quæ utendo consumuntur, ut uinum, oleum. Reliquorum igitur bonorum, quæ usu non consumuntur intelligi oportet usumfructum esse legitum. l. j. ff. de usufruct. dum dicit: Salua rerum substantia. Accedit l. fin. C. de fid. instrum. Et contrarium aliquid nostro eueniat proposito.

Accedit l. si certis annis. C. de pact. l. cùm is qui. §. Fideiussor. ff. de condi. indeb. l. fi. ff. de tributo. l. qui hominem. §. ulti. ff. de solutionib.

Qui perpetua exceptione se tuerit potest, solutum repetit: & ideo non liberatur. Bona illatio est à contrarijs. Cùm enim ista solutio per incuriam facta, pariat repetitionem indebiti: non potest simul etiam páre contrarium liberationis effectum. De effectibus autem non contrarijs, uide infrā.

Exemplum quoq; huc referri potest utiliter de carcere uel custodia militari. Vtriusque porrò temperamentum est adhibendum: ut seruentur tantum homines illæsi, nō etiam puniantur. l. j. & l. ulti. C. de custodi. reor. Certe, custodia hominum & punitio, ualde pugnant inuicem.

1111. Contraria non possunt in uno subiecto, eodem tempore, secundum naturam sese pati. l. si per errorem. ff. de iurisdict. Quid enim tam contrarium consensui, quam error, qui imperitiam detegit, dicit Vlpianus.

Paulus, l. j. ff. Mandat. Mandatum nisi gratuitum, nullum est. Nam originem ex officio atq; amicitia trahit. Contrarium porro est officio merces.

Et propterea, allegans contraria non est audiendus: quoniam pugnat cum natura, & in altero contrariorum extremo, scipsum falsi conuincit.

Imperatores, l. j. C. de furt. Nec enim æquitas patitur, ut & criminis causam persequaris, & bonæ fidei contractum impleri postules.

Innocentius Pontifex, c. sollicitudinem, in fi. de appellatio. Non est tanquam aduersa petens & sibi contrarius audiendus.

Papinianus, l. Titiae si nupserit. ff. de condit. & demonst. Ridiculum est eandem, & ut uiduam, & ut nuptiam, admitti.

Accedunt l. cum præcum. C. de liber. caus. l. Professio. C. de muneric. patri. Et, xij. q. ij. c. quam præpostorum.

#### INFRAC TIO.

I. Non procedit argumentatio, si contraria interpres secundum potentiam. Ut, Competit alicui actio furti. Ergo non competit ex eodem negotio mandati actio. Vel è diuerso, Datur actio mandati. Ergo non conceditur furti. Si referas ad actum, tenet: sin autem ad potentiam, hoc est, quod dominus possit eligere utram actionem maluerit intendere: minime gentium ualeat illatio à contrarijs. l. si pecunia tua. C. de furt.

Multa enim actu non concurrunt, quæ tamen ordine quodam

quodā & successu competunt alicui, & exerceri possunt.

II. In contrarijs quae medium admittunt, non tenet istud argumentum, quanquam præsumptionis aliquid introducit. l. si inter me & te. ff. de excep. rei iudi. Interest, utrum meam esse hæreditatem pronunciatum sit, an contrā. Nam si meam esse, nocebit tibi rei iudicatæ exceptio : quia eo ipso, quo meam esse pronuntiatum est, ex diuerso pronuntiatum videatur, tuam non esse. Si uero meam non esse: nihil de iure tuo iudicatum intelligitur : quia poterit nec mea hæreditas esse, nec tua.

Itaq; ex eo, quod actor uel reus conuentus dicit, rem aduersarij non esse: non potest irrefragabiliter inferre, suā esse. Veruntamen præsumptio nascitur pro possessore, deficientib. utrinq; probationib. l. iij. C. de prob. l. fi. ff. de pub.

III. Diuersis temporibus & successiue, possunt duo contraria effectum habere circa eandem rem. Ut ecce, Commodum & incommodum sunt contraria, nec possunt eodem tempore simul concurrere. Sed potest tamen quis hodie lucrum consequi, cras damnum pati. Secundum hanc determinationē regula iuris considerat lucrum & damnū circa eandem personam. l. id quod post, in prin. ff. de peri. & comm. rei uend. Instit. de legit. patr. tut.

IV. Ex contrarijs mediatis, quorum neutrum in aliquo casu recte potest admitti, optimum solet fieri temperamentum. Vlpianus, ff. de procur. Sed hæc neque passim admittenda sunt, necq; districtè deneganda: sed à prætore causa cognita temperanda. Idem, l. solet etiam. ff. de offic. procons. & leg. Non uero in totum xenijs abstinere debebit proconsul, sed modum adiçere : ut necq; morosè in totum abstineat,

neque auarè modum xeniorum excedat.

Iulianus, l. ratum autem. ff. de sol. & eleganter vlpianus, l. quo enim. ff. rem rat. hab. Hoc autem accipendum ἐπ τάχει & cum quodum spatio temporis, nec minimo nec maximo, quod magis intellectu percipi, quam elocutione exprimi potest.

V. Quando in altero contrariorum ratio honestatis reclamat, tunc non subsistit argumentum: etiam si immediate contraria sint. Nuntiatio noui operis potest sine cause cognitione fieri: Remissio autem eiusdem nuntiationis, non aequaliter. i. §. nuntiatio. ff. de noui oper. nuntiat. Filius institui potest sub hac conditione, Si uolet: Exheredari autem sub contraria conditione, Si nolet, minime potest. Ridiculum enim id esset. l. iam dubitari. ff. de hæredib. instit.

Conuenticula illicita non recte fiunt in ecclesijs. Certe absurdia fuerit ratiocinatio, si colligas à contrario: Igitur extra ecclesiam fieri possunt. Nam & illud extreum discederet ab honestate. Ut tractatur in l. conuenticula. C. de episc. & cleric.

VI. Cum diuersa accipiuntur pro contrarijs, tunc argumentatio non tenet. c. cum apostolica. ff. de his quæ fi. à præl. Autoritates enim præmissæ, licet diuersæ sint, non tamen aduersæ.

Illud obseruandum est: non semper censi argumentum à contrarijs, ubi iuris consultus dicit, Ex contrario. Nam ea vox plerunque significat casum seu facti speciem conuertendam esse: pro, E' regione, aut Ex diuerso. l. si ab hostibus, in fin. ff. solut. matrim. l. ex diuerso. in princip. Ibidem. Idq; duntaxat pro tyronibus iuris admoneo.

370

DE CAVSIS.

**O**MNium rerum humanarum quatuor sunt causæ, si-  
ne quibus nihil subsistere, neq; intelligi potest: Vi-  
delicet, Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis.

Causa efficiens est, à qua res fit, hoc est, cuius uel e-  
opera fit, uel evenit, mediate uel immediate. Ut ecce, Iusti-  
tia est causa efficiens iuris. l. j. in prin. ff. de iusti. & iur.

Materialis causa est, ex qua fit res. Vnde merito eam  
efficienti causæ subiunximus. Quia sine materia nul-  
la species effici possum. l. adeo quidem. §. cùm quis ex  
aliena. ff. de adquir. rer. domin.

Triplacem materiam Paulus secundum Octauenum  
distinguit: Videlicet, Infectam, quam alibi rudem uocat:  
Signatam & Factam, quæ dicitur Species. l. si in rem ali-  
quis agat. ff. de rei vindicat. iuncta l. quæsum est. §. illud  
fortassis. ff. de legat. iii.

Formalis causa est, per quam rudis materia accipit fa-  
ciem ac nomen alicuius speciei. Per unionem enim formæ  
cum materia, efficiens causa tribuit essentiam cuilibet rei.  
Vnde Ulpianus eleganter uocat Statum. Sciat se for-  
mam ac statum antiquorum ædificiorum custo-  
dire debere. l. qui luminiibus, in princip. ff. de seruitut.  
urban. præd.

Finalis denique causa est, propter quam res fit. Ideoq;  
causa efficiens huic cohæret. Primum enim omnium ne-  
cessæ est habere uim efficiendi. Deinde, ut efficiens aliquo  
ad agendum moueat stimulus seu fine, quo consecuto re-  
quiescat. Et rursus: quo frustratus, irritum esse uelit  
Quiduis à se factum. l. si pater tuus. & l. nec apud pere-  
grinos. C. de hæred. instit.

Ex his causis quomodo ducantur argumenta, uidemus  
primum in genere, deinde in specie.

## A' C A V S A G E N E R A L I T E R .

## F O R M U L A .

I. A' pari causa, procedit par effectus. l. de quibus. ff.  
de legib. Nam cum ipsae leges nulla alia ex causa  
nos teneant, quam quod iudicio populi receptae  
sint: merito & ea quae sine ullo scripto populus  
probauit, tenebunt omnes. Nam quid interest, suf-  
fragio populus suam uoluntatem declaret, an re-  
bus ipsis & factis?

II. Cessante causa, cessat effectus. E' diuerso, duran-  
te causa durat effectus. l. in omni. ff. de adopt. Finita pa-  
tris adoptiui potestate, nullum ex pristino iure re-  
tinetur uestigium. l. generaliter sancimus. C. de episcop.  
& cleric. xvij. q. j. c. generaliter.

Probatur, l. actione. §. item si alicuius. ff. pro soc. l. j. ff.  
de minorib. l. fi. ff. de milit. testam. Instit. de excus. tutor.  
§. item qui reipublicae causa absunt. Qui si reuersi fue-  
rint: recipiunt onus tutelae.

Vlpianus in l. fructus esse. §. si vir. ff. solut. matrim.  
Et impensa non est praestanda, quia nec in fructu  
est marmor. Procedit itaq; argumētatio hæc tam adfir-  
mando, quam negando: sicut inferius quoque ostendetur.

III. Efficacior est prohibitio in causa, quam in effe-  
ctu. Vel, Melius est occurrere malo, quam postea reme-  
dium quererere. l. fi. C. in quib. caus. in integr. restit. necessa-  
non est. Nouell. de heredib. & falcid. §. sed neque illis.  
Constit. j. Conuenit enim, ut consilium ante facta  
capiatur. Dicit Iustinianus.

Eadem

Eadem ratione, non possunt emendari abusus iudiciorum, nisi prius reformentur scholæ, ex quibus procedunt magistratus & iudices. Instit. præfatio. in fin. Quam ob rem Senatus olim Romanus, uolens malis iuuenum moribus occurrere, prohibuit ansam: scilicet, ne quis mutuò illis daret pecuniam. Et sœpe materiam peccadi malis moribus præstaret. l. j. ff. de senatusc. maced.

III. Scire, est rem per causas cognoscere. Ulpianus tractans suspecti postulationem ualde frequentem & necessariam, per causas eam eleganter explicat. l. j. ff. de suspectis tutoribus.

V. Causa utique præcedere debet effectum: non autem sequi. Vnde quo tempore beneficia militaria, quæ uulgo feuda dicunt, in usum prodirent: disputatum fuit, utrum fidelitatem, hoc est iuriandum domino præstandum, præcedere oporteret institutionem, quam inuestituram appellant: an uero contrà, fidelitas antea quam institutione esset præstanta? Tandem obtinuit, inuestituram ueluti causam, primum præstari debere. tit. quid præced. debeat, an inuest. uel fidel. Pomponius, l. huiusmodi legatum. ff. Quand. dies legat. Quoniam causa ex qua debeat, præcedere semper debet.

VI. Una causa potest producere multos effectus non contrarios. l. in numerationibus. ff. de solut. & ex diuerso, unus effectus potest multas habere causas mediatas & immediatas.

VII. Res quælibet denominatur à sua causa: idq; est quod Iustinianus inculcat: Et consequentia nomina rebus esse studentes. Instit. de donationib. §. sed nos plenissimo. l. defensores nihil. C. de defensorib. ciuitat. Instit. de tutel. §. est autem tutela. & §. seq.

## INFRAC TIO.

I. A' non causa, quasi causa, nunquam dicitur validia collectio : Sæpe enim uel dolo, uel errore, falsa causa allegatur pro uera, aut insufficiens pro necessaria. Ut si quis ista argutetur : Pauper est, ergo suspectus. Institut. de suspect. tutorib. s. fi. Vel, Non est dos data, ergo non est matrimonium. l. cùm multæ. C. de donationib. ante nupt. perniciose profectò sunt ratiocinationes.

Vitiosa item est argumentatio hæc : Litigatores sæpe intendunt iniquas apud iudicem controversias, easq; patronorum opera legum allegationibus defendant : ergo leges tradunt artem cauillandi. Causa enim falsa est, nec procedit ex legibus, sed ex corrupta hominum natura.

Justinianus Nouell. de fili. ant. dotali. instrum. natis. Constit. xix. Quia tamen omnino extiterunt quidam, qui in re tam manifesta, uel ambigere conentur, uel errant. Idem, Nouell. Ut omnes prouinciar. magistr. obtemp. Ac cùm ista homines efficiunt, prorsus in eam opinionem ueniunt, quasi perpetuo hanc potentiam obtenturi sint.

Similiter vitiosa est hæc illatio : In ditionibus beneficiariis regalibus, utpote, in Ducatibus, Marchionatibus, et Comitatibus (sicut appellat) reperiuntur bona, quæ apud alios successionem uulgarè admittunt. l. maximum uitium. C. de liber. præter. tit. si de feud. def. conten. sit inter dom. & agnat. uaf. & tit. an agnat. uel fil. def. poscit ret. feud. repud. hæred. Ergo in talibus quoque bonis foeminae principes, habebunt petitionem hæreditatis, mortuo parente, Duce, Marchione, uel Comite.

Falsa certè causa accipitur pro uera. Siquidem bona ipsa non sunt causa ipsius hæreditariæ successionis principali.

paliter Sed uera causa generalis est: ut morientes quemadmodum à maioribus suis alimenta ipsi sunt adepti, sic posteris suis quoq; relinquant: ut tractatur, Nouella de hered. & falcid. §. principio igitur. Constat. i. Vnde etiam legitima est constituta liberis. Nouell. Ut si plures filij non sint. §. tandem ista nos mouerunt. & §. non licebit igitur. Constit. xviii. Si filiorū, qui nō statim fame moriantur, sed habeant unde uiuant, pater appellari uelit.

Specialis uero causa foemineæ successionis in beneficijs, est pactum inuestituræ, uel consuetudo patria. tit. qui feud. dar. poss. §. hoc autem notandum. & tit. de succession. feud. §. filia uero.

Sed hæc generalis causa non potest uerè referri ad principes foeminae, quæ ampla dote solent satis superq; locupletari & legitimam accipere: aliquando & augmentum in pecunia numerata, uel usufructu, secundum qualitatem personarum. l. si conuenerit, in fi. ff. de pact. dotal. l. Titio cætum. §. Titio genero. ff. de cond. & demonst. l. Papinianus. §. quarta. ff. de inoffic. test. l. quod bonis. §. fi. ff. ad leg. falc. l. quoniam in prioribus. & l. scimus. C. de inoffic. test. l. fi. §. ipsum autem. C. de bonis quæ liber. Quinimo, Quantum ad bona attinet, etiam non quadrat predicta causa, nec est sufficiens. Ditiones enim regales Ducatuū, Marchionatum, uel Comitatuum, ueluti immediata imperij membra: dominio utili, dignitate, ac titulo non possunt diuidi: sed integra sunt imperio & familiæ conseruanda: quanquam administratio & emolumenta, propter publicam tranquillitatem, aliquando diuidantur. tit. de prohib. feud. alicui. per Frid. §. præterea ducatus.

Et hoc ditiones regales habent speciale præ alijs bonis omnibus, adeoq; beneficiarijs: sicut & illud, ne per successionem

sionem adquirantur. tit. de alie. feu. in fi. & tit. seq. in prin.

Verum per fœminas successiones in hypothecas, emptæ beneficia, uel alia huiusmodi, quorum uice alia ditionum bona solent alienari uel saltē grauari. non solum diuidentur Ducatus, Marchionatus, & Comitatus, sed paulatim lacerati transferrentur in alienum ius, & eriperentur imperio.

Ergo stante politia consuetudinaria, qua nunc utimur, minime gentium licet à quibusdam bonis aucupari causam fœmineæ successionis, & adserere petitionem hæreditatis in ditionibus beneficiarij regalibus.

Et profectò non est nouum uel inconueniens, quod bona eiusdem speciei inter personas uulgares censeantur patrimonialia, & admittant petitionem hæreditatis: inter principes uero non æquè. Oportet enim bona accommodare personis, non contrà personas bonis. Argum. c. apostolica autoritate. viij. q. j.

Sin autem argumenteris à dictis specialibus & ueris causis circa fœmineam successionem, ualidam facies probationem, hoc modo: Fœminæ nominatim sunt inuestitæ, uel consuetudo patria habet, ut succedant: Ergo fœminæ etiam succedunt in beneficio regali, uel regno toto. Bonæ est collectio à uera causa: & cessat laceratio ditionis. Paulus: Quædam sunt, quæ non possunt sola alienari, tamen per uniuersitatem transeunt ad hæredem. ff. de adquir. rer. domin.

Commemoro istud exemplum aliquanto prolixius: Primum, quia magnos uiros in hac argumentationis specie uideo perniciose hallucinari. Deinde, ut intelligat studiosi, petitionem hæreditatis uulgam minime gentium habere locum de ulla bonis ditionum regalium. Nisi forte serenissimus

nisi simus Imperator noster Carolus V. Augustus, cum fratre suo Ferdinando Cæsare, uoluerit aliam introducere huius consuetudinis obseruationem.

I I. Vbi duæ uel plures sunt causæ principales, ibi cessante una, non statim cessat effectus. §. adfinitatis. Instit. de nupt. Quando adfinitas & cognatio sunt causæ prohibitarum inter aliquos nuptiarum: tunc cessante altera causa adfinitatis, non cessat prohibitio: quia manet altera cognationis causa.

Paulus in l. si seruus. ff. iudic. solui. Quia mortuo homine, nulla iam res sit. Quod falsum est. Quoniam expedit, de euictione actionis conseruandæ causa, item fructuum nomine rem iudicari.

I II. Aequitatis circumstantia facit, ut ex una eademq; re procedant diuersi effectus. l. si non sortem. §. libertus. ff. de cond. indeb. Nam plerūq; robur, aetas, tempus, oportunitasq; naturalis causam operarū mutant.

Sic unus sæpe, præstat effectus officiorum plurium. l. si consul. ff. de adoptio. l. emancipatum. §. fi. ff. de senatorib. l. Domitius Labeo. ff. qui testa. facer. poss. l. j. ff. de stipul. ser. Communis seruus, duorum seruorum personam sustinet, dicit Julianus. solet tractari in l. si plures sint. ff. de pact.

I III. Negotiorum qualitas & circumstantia facit, ut neque efficiens neque finalis causa respiciatur, sed medium quoddam. Instit. de offi. iudi. §. si ad exhibendum. dum dicit: Præterea fructuum mediij temporis, id est, eius, quod post acceptum ad exhibendum iudicium ante rem iudicatam intercesserit. Accedit l. in hac actio- ne. ff. de condic. tritic.

V. In denominationibus rerum: Aliás respicitur causa  
finalis.

finalis. l. si quis à multis. ff. de noxal. actionib. Aliás dignitas. l. quæritur. ff. de stat. homi. l. cùm aurum & arg. §. perueniamus. ff. de aur. argen. mund. Alás certitudo: ut matrimonium, non patrimonium: quoniam mater est certa. l. quia certa. ff. de in ius uoc. Aliás deniq; inter multas causas consideratur proxima. l. qui liberis. §. hec uerba. ff. de uulg. & pup. subst. In summa, ubi euentus rei est uerisimilis, uel talis, ut ad utilitatem publicam aliquid sit collaturus: ibi causa finalis uel exitus habēda est ratio. l. si idem cum eodem, §. si. ff. de iurisd. Instit. de rer. diuisione. §. illud quæsitum. & l. in quantitate. §. magna dubitatio. ff. ad leg. falc. l. si seruitus. in fi. ff. de serui. urb. præd. l. qui sella. in prin. ff. de seruitut. rustic. præd. l. si quis domum. §. idem quærit. ff. loca. & cond.

Vbi uero non est uerisimile aliquid euenturum utiliter: aut si eueneriat, futurum inutile: ibi non spectatur exitus. l. sciendum est, §. si fundum. ff. qui satisd. cog. Nec enim ad rem pertinet, quod euinci ea possessio possit. l. cùm iij quibus. §. fin. ff. de transact. l. j. ff. de in lit. iur. Et hanc distinctionem tene menti omnibus quoque sequentibus argumentis deseruientem.

### A C A U S A E F F I C I E N T E.

#### F O R M U L A.

I. Qui causam rei præstat, is rem præstare uidetur. l. qui occidit. §. fin. ff. ad leg. aquil. Nam & qui occasionem præstat, ipse damnum fecisse uidetur.

Huc pertinet regula. l. quod iussu. ff. de regulis iuris. Et, Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per se ipsum. eo. tit. lib. vj.

II. Quidquid est causa causæ, idem censembitur causa causati.

causati. Ius gentium est causa seruitutis, Seruitus est causa manumissionis: Ergo ius gentium est causa manumissionis. l. manumissiones quoq; ff. de iusti. & iure.

Defensio item, hoc est, propulsio iniuriæ proficiscitur ex iure gentium. Defensio rursus exigit plerunq; bellum: igitur bellum est ex iure gentium. l. ut uim, iuncta l. ex hoc iure. ff. eo. tit.

Rursus negādo colligitur. Seruitus prædura ubiq; gentium paulatim recepta, non est ex iure naturali: Ergo manumissio quoque eiusdem seruitutis non descendit ex iure naturali. d. l. manumissiones quoq;.

III. Ex initio unam quamq; rem oportet estimare: Ergo initium rei spectandum est l. j. ff. de orig. iur. Et certè cuiusq; rei potissima pars principium est.

Vlpianus in l. si procuratorem, in prin. ff. mād. Vniuersus enim contractus & initium spectandum esse, & causam.

Grauissime Constantinus in l. quoniam multa. C. ad leg. Jul. de ui pub. loquens de ui inter multos ultro citroq; admissa, sic dicit: In eum supplicium exerceri, qui uim facere tentauerit, & alterutri parti causam malorum præbuerit.

Accedit l. quid ergo, in prin. de his qui not. infā. l. quod ab initio. ff. de reg. iuris. l. deniq; . §. si quis cum. & §. seq. ff. de minorib. ibi: Initio inspecto. l. cū quædam puella. ff. de iurisdict. l. ij. §. qui ad munera. ff. de uacatio. & excus. muner.

III. Ex malo principio non sequitur bonus finis. l. in uniuersis. C. qui dar. tuto. uel cur. poss. Romanus Pontifex: Et difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio. Nouell. Ut præsi. absq; ull.

datio. §. tametsi enim. Constit. viij. Et ex diuerso, Quæ de-center sunt cœpta, fœlicem sortiuntur exitum. Nouel. Quo mo. opor. episc. §. nos uero. Constit. yj.

V. Ignoratis principijs, nemo potest artem percipere. Ulpianus in l.j. in princ. ff. de iusti. & iur. Iuri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat. Est autem à iustitia appellatum.

Certe uerum iuris & æquitatis studium exigit cognitionem, unde nomen iuris, hoc est, res ipsa quæ nomine iuris significatur, descendat: uidelicet ab insita diuinitus ratione, suum cuiq; tribuendi. I. Iustitia est. ff. eod. tit.

Ex hoc enim principio descendit ars atque notitia boni & æqui, quam profitemur, inuestigantes, quomodo ex prædicto principio, ceu fonte quodam, iuris ciuilis riuuli, & ordinationes humanorum negotiorum deriuentur, iuxta l.ius ciuile est. ff. eo. tit.

#### I N F R A C T I O.

Ex optimo sepe principio, malus sequitur effectus, propter depravationes hominum nunquam cessantes. Nouell. Ut illustr. in pecuniari. omni modo. Constit. lxxj. Quæ quasi honoris & melioris habitus ac formæ causa procedunt: cùm quod exinde prouenit, non honorem inducat, sed potius læsionem quandam: breui lege sanare, per pulchrum fore duximus.

#### A' C A V S A M A T E R I A L I.

##### F O R M U L A.

I. Argumentationem hanc è materia ducere licet, tam adfirmando quam negando. Existente enim causa materiali, dubium non est, quin ex ea possit produci effectus. Et rursus: Non existente materia, impossibile est aliquid effere.

cere. Adfirmatiue ualeat collectio. Vinum & mel est, ergo mulsum fieri potest. Instit.de rer.diuisio. §. si duorum. Aurum est, igitur aureum poculum fieri potest. Sunt res quarum commercia prosunt hominibus: itaque possunt esse commercia hominum. Negatiue subsistit illatio: Res non est in rerum natura, Ergo nullum eius esse potest commercium. Instit.de inutilib.stipula.in princ. Res est incorporalis, ideo non potest externo sensu comprehendendi. Institut.de reb.corpora.& incorpor. §.incorporales. Sunt incorporalia, ergo propriè non possunt possideri.l.ijj.in princ. ff. de adquir.posseß.

Ab effectu uero ad causam materialem adfirmando sic ratiocinari licet: Electrum est, igitur aurum & argentum fuit. Instit.de rer.diuisio. §. si duorum. Vas est aureum, ergo aurum fuit. Negatiue hoc modo: Non est iustum bellum, ergo non fuit legitima defensio.l.hostes sunt. ff.de capti. & de postlimi.reuers.

I I. Ex eo quod non est, nullus sequitur effectus. Et, ex nihilo nihil fit. Sic sententia quæ nullius est momenti, non habet effectum condemnationis.l.ijj. §.condemnatum. ff. de re iud. Nullas item actiones mandare potest, qui nullas habet.l.si procuratorem. §.si liber. ff.mandat.

## I N F R A C T I O .

I. Quando tractatur de alienatione aut obligatione, tunc non subsistit argumentum à materia uniuersali ad effectum specialem.Paulus,l.si conuenerit ut nomen. ff.de pignora.act. Si quis cauerit, ut sylua sibi pignori esset: nauem ex ea materia factam non esse pignori Cas. sius ait: quia aliud sit materia, aliud nauis.

II. Si argumentatio ducta fuerit à causa materiali, ad actum ipsius effectus, non potest uim retinere.Vt: Aurum

est, ergo poculum est aureum. Potuit enim in aliud conuerti effectum. Aequè non procedit illatio: per stipulationem promissum est, ergo ex stipulatu actio est. Nam si utcunque uerbis fuerit contractum, forte tamen sub conditione, uel in diem contraxerunt, ut statim non sit natus agendi effectus. l. cedere diem. ff. de uerb. signifi.

### A C A V S A F O R M A L I .

#### F O R M U L A .

I. Mutata forma, mutari res censetur. Vnde cū debitor aliquid restituit aut soluit, cuius forma sit mutata, non uidetur restituere aut soluere, nec liberatur. l. Julianus. §. si quis rem. ff. ad exhiben. Sed hoc utiq; uerum est, si do lo in aliud corpus res sit translata: ueluti, si ex scypho massa facta sit. Quanquam enim massam exhibeat, ad exhibendum tenebitur. Nam mutata forma prope interimit substantiam rei, ut Marcellus scribit.

Eleganter Marcellus, l. Seia ab haerede. ff. de aur. argen. mund. Item quæro. Si probari possit, Seiam uniones & hyacinthos quosdam in aliam speciem ornamenti, quod postea speciosius fecit, additis alijs gemmis & margaritis, conuertisse: an hos uniones uel hyacinthos petere possit, & haeres compellatur ornamenta posteriori eximere, & præstare? Marcellus respondit, petere non posse. Necq; enim fieri posse, ut legatum uel fideicommissum durare existimetur: cum id quod testamento dabatur, in sua specie non permanserit, & quodammodo extinctum sit.

II. Non mutata forma seu specie, res manet eadem, etiam

*etiam si materia particulatim mutetur.*

Grauiter admodum Alsenus, ff. de iudi. Proponebatur ex his iudicibus, qui in eandem rem dati essent, nonnulla causa audit a excusatos esse, inq; eorum locum alios esse sumptos: & quærebatur, singulorum iudicium mutatio eandem rem, an aliud iudicium fecisset?

Respondi: Non modò si unus aut alter, sed & si omnes iudices mutati essent: tamen & rem eandem, & iudicium idem, quod antea fuisset, permanere. Necq; in hoc solum euenire, ut partibus commutatis, eadem res existimaretur: sed & in multis cæteris rebus. Nam & legionem eandem haberi, ex qua multi decesserint, quorum in locum alijs subiecti essent: & populum eundem hoc tempore putari, qui ab hinc centum annis fuisset, cum ex illis nemo nunc uiueret. Itemq; si nauis adeo saepe refecta esset, ut nulla tabula permaneret, quæ non noua fuisset: nihilominus eandem nauem existimari.

Quod si quis putarer, partibus commutatis alia rem fieri: fore, ut ex eius ratione nos ipsi non ijdem simus, qui ab hinc anno fuissimus. Propterea, quod (ut philosophi dicerent) ex quibus particulis minimis consisteremus: eæ quotidie ex nostro corpore decederent, aliæq; extrinsecus in aliarum locum accederent.

III. Quatenus forma accipitur pro certa & solenni serie, quæ rebus agendis, publica uel priuata autoritate sit præscripta, multas argumentandi species exhibet. Veluti: *Forma est de substantia negotij, ergo omissa reddit actum invalidum.* Item: *Qui formam excedit, aliud*

quid facere uidetur. l. certa est forma. C. ut in posseßio. legato. l. hac consultissima. C. de testamen. l. diuus Antoninus. ff. de in integ. restit. Et si nihil facile mutandum est ex solennibus: tamen ubi æquitas euidens poscit, subueniendum est, rescripsit Imperator.

Papinianus in l. inter debitorem. ff. de pact. Pactis enim priuatorum formam iuris fiscalis conuelli non placuit.

Paulus, ff. Mandat. Diligenter igitur fines mandati custodiendi sunt. Nam qui excessit, aliud quid facere uidetur. Fines accipi uult pro forma mandati quasi finibus quibusdam limitata.

#### I N F R A C T I O .

Forma superuacanea & inutilis, non præstat argumentationem ualidam. Neq; enim procedit hec collectio: Testator non est usus hac uel illa uerborum formula, ergo testamentum non ualet. l. in testamentis. Et, l. sequen. C. de testamen. Ea quæ superflua sunt, minime debent intercedere.

Constantinus Imperator. C. de formu. Iuris formulæ aucupatione syllabarum insidiantes, cunctorum actibus radicitus amputentur.

#### A' C A V S A F I N A L I .

##### F O R M U L A .

I. Finis est diligenter respiciendus. Item, A' fine omnia sunt denominanda.

Vlpianus in l. licet tantum. §. idem scribit. ff. de pecul. Proinde non originem iudicij spectandam, sed ipsam ueluti iudicati obligationem.

Idem, in l. si quis domū. ff. locat. Si sumptus fecit in fundum,

dum, quasi quinquennio fruiturus, an recipiat? Et ait, non recepturum: quia euenire posse, prospicere debuit. Idem, in l. sed & si per praetorem. §. si feriae. ff. ex quib. caus. maior. Solennium enim feriarum rationem haberi non debere: quia prospicere eas potuerit & debuerit actor, ne in eas incideret. Idem, in l. qui bona fide. §. cum inter. ff. de damno infect. Sed cum prospicere sibi potuit per damni infecti cautionem, nec prospexit, merito conuenietur.

Idem, in l. Stichus seruus. ff. de manumiss. testam. Inutiliter dabitur libertas, cum in id tempus differatur, quo alienus futurus sit.

Iustinianus quoq; finem perpendit. Instit. de rer. diuis. §. illud quæsum. Dum dicit: Quod multa accidere soleant, ut eam non capias.

In omnibus conditionibus finis spectatur. l. si nominatim. §. fi. ff. de condit. & demonstr. Ibi, Conditio futuram. l. in facto. ff. eod. tit. Dum dicit: Tertia species in euentu ponitur.

Paulus in l. qui sella. ff. de seruit. rustic. præd. Et possent eo modo lædi. Facit. l. in quantitate. §. magna dubitatio. ff. ad leg. falc. Inter circumstantias puniendorum delictorum adnumeratur euentus seu finis. l. aut facta. §. euentus. ff. de pœnis.

In consultationibus publicis uel priuatis, admodum necessaria est inspectio finis, ne dicendum tandem serò sit. Non putaram: sicut admonet Cicero in officijs. Nouell. de hæredib. & falci. §. sed neq; illis. Constit. j. Et, Nouell. Ut si plures filij nō sint. §. quod si minus agat. Cösti. xviii. Alioquin neglecta finis deliberatione, solet accedere, Stultorum magister Exitus. Is enim declarat & reuelat

omnia, quæ non antea uidentur, quām sentiuntur. Argu.l.  
quædam sunt. ff. de reb. dub. Sed ex postfacto retro-  
ducitur, & apparet quid actum sit.

Vlpianus, in l. sed & si quis stipuletur. §. j. ff. de usufr.  
& quemadmod. Nam numeratio declarabit, cui sit  
adquisita stipulatio. Idem, in l. item si unus. §. final.  
Et potuit præsentia eius trahere eos in aliam sen-  
tentiam.

Omnis omnium sæculorum legislatores in constituen-  
do iure expenderunt finem negotiorum humanorum.  
Nam ad ea potius debet aptari ius, quæ & fre-  
quenter & facile, quām quām quæ perrard eue-  
niunt. l. iura constitui. & l. seq.

I I. Quæ in negotijs hominum nouē accident, ea de-  
siderat nouam ordinationem politicam. Imperatores olim  
rescripsierunt Rutilio cuidam desideranti rem nouam: Et  
ideo nemo mirabitur, si nos quoq; nouū cōsilium  
& remediū suggeramus. l. j. in prin. ff. de inspic. uent.

Iulianus, ff. de legib. Neque leges, neque sena-  
tus consulta ita scribī possunt, ut omnes casus qui  
quandoque inciderint, comprehendantur. Hæc  
ille in l. seq. declarat.

Iustinianus, Nouell. de liberis quomodo eos oport. in  
prin. Constit. lxxiiij. Recte dictum est à prædecessoribus  
nostris, & ante omnes à sapientissimo Iuliano: quia nulla lex, neque senatus consultum pro-  
latum in republica Romanorū uidetur ad omnia  
sufficienter ab initio promulgatum.

Vlpianus, l. de ætate. §. ex causa. ff. de interrog. Quod  
ea quæ postea emergunt, auxilio indigent.

Iustinianus, l. ij. §. sed quia. C. de uet. iur. enucl. Quia  
ideo

ideo Imperialem fortunam rebus humanis Deus præposuit: ut possit omnia, quæ nouiter contíngunt, & emendare, & componere.

III. Euentus executionis est dubius. Ergo qui idcirco tenetur quia actionem habet, is satisfacit, si paratus sit eam cedere. l. quod debetur. ff. de pecul. Nam uerecundia & cogitatio eius, qui lites execratur, non est uituperanda. Ut dicit Vlpianus, in l. item si res. §. potest etiam. ff. de aliena. iudi. mutan. cauf. facta.

## INFRAC TIO.

I. A' præcurssione qualicunq; seu causa non necessaria, quam uulgo impulsuam uocant, non ducitur ualidum argumentum. Ut, Conuentio hominum sæpe est causa ingentis mali: Vel, homines plerunq; ad hoc conueniunt in unum locum, ut delictum aliquod perpetrent: Ergo conuentio hominum est mala: uel, præsumitur delictum admisisse multitudo. l. j. §. conventionis. ff. de pact.

Potest enim causa finalis conueniendi longè honestissima esse: quanquam ex ea delictum obiter processerit, an sa multitudinis arrepta. Cæterum, si principale institutum coenuntum esset, ut delictum commodius admutteretur: utiq; licet argumentari ab huiusmodi congresione. l. iij. ff. ad leg. Iuli. de ui. publ.

De causa impulsua seu minus principali, & quatenus præsumatur in dubio, solet tractari in l. ij. §. fi. ff. de donat. Et ibi Bartolus, l. j. §. secundo loco ff. de postulan. Vlpianus tradita finali causa prohibendarum mulierum, impulsuam quoq; refert.

II. Quando finis seu euentus inspectio læderet innocentiam eius, qui fecit quod debuit, aut potuit: tunc omitti solet. l. qui mutuam. §. fi. ff. mandat. Sumptus bona fide

fide necessario factos (& si negotio finem adhibere procurator non potuit) iudicio mandati restituí necesse esse, dicit Papinianus.

Vlpianus, l. quid ergo. ff. de contrar. tutel. Sufficit tutori bene & diligenter negotia gesisse : & si euentum aduersum habuerit, quod gestum est.

Africanus, l. seruus si in rem, in prin. ff. de in rem uers. Nam & si procurator meus in negotia mea impensurus, pecuniam mutuatus, sine culpa eam perdidet: recte eum mandati, uel negotiorum gestorum acturum. Saepè namq; per rerum naturam impossibile est, constituere aut deliberare aliquid in futurum. l. si putator, in fi. ff. ad leg. Aquil. Nam culpa ab eo exigenda est: cum diuinare non potuerit, an per eum locum aliquis transiturus sit.

Vlpianus eleganter in l. si fideiussor conuentus. s. si cum debitor. ff. mandat. Ignoscendum enim est, si non diuinauit, debitorem soluisse.

Cæterum, ubi culpa præcedit: quia porrò facit quod non debuit facere: aut contrà, non fecit quod debuit & potuit facere: ibi nullam excusationem meretur error circa euentum. d. l. si putator, in princip. ff. ad leg. Aquil. Culparam autem, cum quod diligenter prouideret potuerat, non esset prouisum.

III. Quoties consideratio euentus adlatura esset rei publicæ detrimentum, uel præduram & iniquam conditionem: toties cessat, nec parit ualidam ratiocinationem. l. eo tempore, in prin. ff. de peculi. Nec ad rem pertinet, quod fieri potest, ut damnatio sequatur. Quasi dicat: Id enim de facto fieret ac iniuria iudicis, sicut paulo inferius alio subiicit exemplo.

Paulus,

*Paulus, in l. inter stipulatēm. §. sacram rem. ff. de uerb. obligat. Et casum aduersamē fortunam spectari hominis liberi, neque ciuile, neque naturale est.*

III. In iudicio non habetur ratio eius, quod futurum est uel euenire potest: sed duntaxat præsentis aut præteriti: negotij. l. si seruus. §. boue subrepto. ff. de cond. furti. l. grege pignori. §. si sub conditione. ff. de pignorib. l. si post litem. ff. de exceptionib.

V. Plerunque in maleficijs uoluntas spectatur, non exitus, ut dicit Callistratus ex rescripti autoritate. l. diuus Adrianus. ff. ad leg. Corne. de sicar. Quod declaratur in l. j. §. diuus Adrianus rescrispit. Ibidem.

### A B E F F E C T I S, seu euentis.

**A**Dfinis admodum locus est præcedenti. Tantum in hoc potest aliquo modo discerni: quod hic exitus ipse seorsum, omissa cause consideratione, spectatur.

Alibi quoq; Effectus significat absoluta consummationem seu perfectionem rei. l. ij. §. post originem. ff. de orig. iuris. Pomponius: Per eos, qui iuri dicundo presunt, effectus rei accipitur. Et Paulus, l. in executione. §. seunda. ff. de uerb. oblig. Quia operis effectus, in partes, scindi non potest. Quod tene menti.

### F O R M U L A.

I. Ab effectu iudicatur quælibet res, utrum licita sit, an illicita: utilis' ne, an inutilis: sicut arbor ex fructu solet cognosci.

Iustinianus in Constit. ff. ij. prohibens ludos, Indignos & pessimos, imo seruiles, & quorum effectus iniuria est. Idem, in l. rem non nouam in fin. C. de iudic.

Causæ

Causæ etenim terminus manifestare poterit : qui timidius, quiq; audacius iudicium uel reliquerunt, uel protulerunt.

*Paulus, ff.de reg.iuris.* Cuius effectus omnibus prodest, eius & partes ad omnes pertinent. Quod nihil aliud dictum est, quam si sic argumenteris : Effectus huius rei pertinet ad omnium utilitatē, ergo partes quoq; ex quibus constat, referuntur ad utilitatem omnium. Facit l.ij.in princ. ff.solut.matrim. Cum enim actio doris est solius filiæ sui iuris : tunc maritus in contractu matrimonij, non tenetur eam alij quam filiæ promittere in aliquam conditionem restituendam. Quando autem actio est communis parenti & filiæ in potestate : tunc utriusque uoluntate maritus promittit restituendam dotem.

*Vlpianus in l.pedius. ff.de arbit.* Parui referre, ingenuus quis, an libertinus sit : integræ famæ quis sit arbiter, an ignominiosus. Quasi dicat : sufficit, eum recte arbitratum esse, & bonum præstissee effectum. *l.Barbarius. ff.de offic.præt.*

*I I.* Quomodo sequatur effectus, si tamen fuerit secutus, nihil resert. Vel : Nihil interest quid cœniat ex æquipollentibus. *l. si mater. C.de instit.* & substit. *Vbi conditio emancipationis trahitur ad omnes casus solut.e potestatis patriæ.*

*Scœuola in l.Gallus §. quid si is. ff.de liber. & posthu.* Melius est ut in eiusmodi utilitate (præsertim post legem Velleiam, quæ multos casus rumpendi abstulit) interpretatio admittatur : ut instituens nepotem, qui sibi post mortem suus nasceretur : recte instituisse videatur, quibuscumque casibus nepos post mortem natus suus esset.

*III. Quæ*

III. Quæ habent eundem effectum lœdendi, et admittunt idem iuris remedium, tametsi alioquin diuersa sint. l. diuus Pius. §. diuus Adrianus. ff. de pet. hæred. Vbi sicut possessor uolens alienare, satis dat: ita intendens falsitatem testamenti, satis dabit. Quoniam alienationis, & de falso disceptationis effectus lœdendi par est.

IV. Frustra spectatur exitus, qui nullum habet effectum. Vlpianus, ff. de iudic. Non uidetur frustrandæ actionis causa latitare, qui præsens suscipere iudicium non compellitur. Facit l. fi. C. qui ad bonor. posseß. & intra quod temp. admit. Rursus: sine fructu ratiocinaremur de exitu, cuius effectum natura sic dirigit, ut qualiscunque ferendus sit. Et ideo cum per se natura agri fuerit mutata, æquo animo unumquenque ferre debere, siue melior, siue deterior eius conditio facta sit. l. in summa. §. apud Namsum. ff. de aqu. plu. arcend.

V. Quæ carent effectu nullam merentur in iure considerationem. Quid enim obfuit conatus, cum iniuria nullum habuerit effectum. Pomponius, l. ij. §. post originem. ff. de orig. iuris. Parum est enim ius in ciuitate esse, nisi sint qui iura reddere possint.

Vnde duplex est dolus: alter qui animo concipitur: alter qui ipsa re seu effectu procedit, sine ulla destinacione. l. si quis cum aliter. ff. de uerbor. obligat. Certe dolosum consilium quod nihil mali efficit, DEO relinquitur vindicandum. Cogitationis enim poenam nemo patitur, teste Vlpiano. ff. de poenis.

Iustinianus Instit. quib. ex caus. manum. non lic. Itaque tunc intelligimus impediri libertatem: cum utroque modo fraudantur creditores: id est, & consilio manum

manumittentis, & ipsa re, eō, quod eius bona non sunt suffectura creditoribus.

**V I.** Introducta ad unum effectum, non debent ad alium inconuenientem torqueri. Exemplum est utile in l. aut damnum. s. solent præsides. ff. de pœnis. Carcer enim ad continendos homines, non ad puniendos haberi debet. Loquitur autem de pœna per sententiam alicui indicenda: ut si quis damnetur in carcere uel uinculis puniendus. Alioquin carcer in se complectitur pœnam quandam. l. iij. ff. de custod. reor. Ibi: Verum hanc ipsam carceris pœnam &c. Potest etiam hæc argumentatio ex loco à contrarijs duci.

**V II.** Quæ probat euentus pernitsiosa fieri, ea debent reuocari: etiam si initio profuerint. Sed priuilegium hoc uel illud etiam si initio profuerit, euentus tamen ostendit nunc in perniciem tendere. Ergo est reuocandum. l. Neratius consultus. ff. de reg. iuris. Paulus, l. ex facto, in princ. ff. de uulga. & pupilla substitut. Etenim iniquum incipit fieri beneficium principis, si adhuc id ualere dicamus. Auferretur enim testamenti factio homini sanæ mentis. c. suggestum est. de decim. &, Distinct. lxij. c. quia sancta Romana, in fi.

### A' G E N E R E.

**G**enus est quod prædicatur de pluribus specie differentiibus in eo quod quid est, secundum uulgatam didacticorum definitionem. Quemadmodum enim unus, est principium multis ab eo procreatis, qui eodem cognomine nuncupatur. l. j. ff. de probationib. l. familiæ, in princ. ff. de uerbor. signific. ita genus est principium suis speciebus, de quibus prædicatur: hoc est, quibus attribuitur in quest

quæstione, Quid sit? Ut cùm queritur: quid sit petitio hæreditatis? Respondeatur rectè, Est actio. Quid rei uindictatio? Est actio. Quid certi conductio? Est actio. Itaq; constat, actionem esse genus.

Admonendi autē sumus diligenter, quòd apud Iurisconsultos genus sæpe accipitur pro specie. Quod cùm in tanta negotiorum uarietate non sit mirum, tum etiam dialectica ratione potest excusari. Nam quæ inter summum seu generalissimum genus, & speciem infimam seu specialissimam sunt, ea respectu superiorum dicuntur species, respectu uero inferiorum uocantur genera.

Vt ecce: Conuentio est genus generalissimum. l.j. §. conventionis. ff. de pact. Conuentio publica, & Conuentio priuata, sunt species. Sunt item genera: quoniam priuata conuentio rursus diuiditur in conuentiōnem legitimam, & conuentiōnem iuris gentium. Conuentio deniq; iurisgentium, respectu superiorum est species. Quandoquidem uero sub se continet omnes contractus, & nudas pactiones, censetur hoc respectu genus. l.conuentiōnum. Et l.seq.l.iurisgentium, in prin. & §. j. ff. eo. tit.

Similia exempla habes de obligatione, possessione, ac infinitis alijs. Instit. de obligationib. l.j. in prin. & §. j. ff. de actionib. & obligat.

Modestinus, ff. de iudi. Non uidetur in iudicem consisse, qui edi sibi genus actionis apud iudicem desiderat. Genus actionis, hoc est, Speciem actionis, scilicet ex quo contractu, uel quasi ex contractu: maleficio, uel quasi ex maleficio: aut ex qua causarum figura intendatur. l. j. in princ. ff. de actio. & obligat. Sic enim oportet actionem edere l. j. in prin. ff. de eden.

Celsus, l. f. ff. de condi. caus. dat. Dedi tibi pecuniam,

k                    ut

ut mihi Stichum dares. Vtrum id contractus genus proportione emptionis & uenditionis est? Cer-  
te, talis ob rem datio non est genus, sed species contractus.

*Paulus, l.ij. ff. si cert. petat. Mutuum damus receptu-  
ri non eandem speciem, quam dedimus, (alioquin  
commodatum erit, aut depositum) sed idem ge-  
nus: Nam si aliud genus, ueluti si pro tritico, uis-  
num recipiamus, non erit mutuum. Vbi genus pro  
specie, ac species pro individuo accipitur.*

*Rursus ibidem: Mutui datio consistit in his rebus,  
quæ pondere, numero, mensura, constant: quo-  
niā earum rerum datione possumus in creditum  
ire: quia in genere suo functionem recipiunt per  
solutionem, quam specie.*

*In creditum ire (ut hoc obiter dicamus) est mutuum con-  
trahere. Siquidem solenne uerbum est contractus mutui:  
sicut In debitum ire, ad mutuum quoq; pertinet. l.cre-  
ditores, in fin. ff. de uerb. signific.*

*Functionem autem recipiunt per solutionem: hoc est,  
cum alia species pro alia soluitur eiusdem generis atq; bo-  
nitatis. l. si quis aliam ff. de solut. l.ij. ff. si cert. pet.*

*Quam specie, Græca phasis est, perinde ac si diceret,  
no recipiunt functionem species seu individuo, si eadem res  
reddatur. Similis est phasis in l.ij. in fi. ff. de iud. Alio-  
quin compelletur iudicium accipere, quam inueni-  
re eos possit, qui satis pro eo dent.*

*Idem l. si hominem, in prin. ff. depos. Cum posset non  
fuscipere talem causam, quam decipere.*

*Idem in l. recusarc. §. Titius hæres. ff. ad senatusc. trebel.  
Quia interesse Sempronij potest ex institutione  
quam ex substitutione habere hæreditatem.*

*Paulus,*

*Paulus, l. iij. ff. de adquir. poss.* Genera possessionum tot sunt, quot & causæ adquirendi eius, quod nostrum non sit. Veluti, pro emptore, pro donato, pro legato, pro dote, pro hærede, pro noxæ dedito, pro suo: sicut in his, quæ terra, mari, cœlo, uel ex hostibus capimus: uel quæ ipsi, ut in rerum natura essent, fecimus. Hic genus accipitur pro specie. In clausula uero sequenti, genus intelligitur propriæ.

Et in summa: magis unum genus est possidendi, species infinitæ. Vel etiam potest diuidi possessio- nis genus in duas species, ut possideantur, aut bona fide, aut non bona fide. In priori clausula, genus si gnificatur summum seu generalissimum: in posteriori, genus subalternum.

*Vlpianus, l. ostentum. ff. de uerb. signifi.* Duo genera sunt ostendorum.

*Iustinianus Instit. de donationib.* Est & aliud genus acquisitionis, donatio. Donationum autem duo sunt genera: mortis causa, & non mortis causa. Ecce, Donatio genus, habet duo genera.

*Paulus, l. inter stipulantē. §. sacram rem. ff. de uer. oblig.* Vini autem non speciem, sed genus stipulari uidemur.

*Celsus, l. triticum dare.* Ibidem: Igitur si de aliquo tritico cogitauerit, id est, certi generis, & certæ quantitatis. Proinde, artem boni & æqui prorsus non intelligunt, qui appellations Generis & speciei, sic exigunt ad normam dialecticam, quasi non plura sint negotia, quam uocabula.

## F O R M U L A.

I. Generalis ordinatio, habet locum in qualibet sua spe-  
k z cie.

cie. Pomponius, l. si seruitus. ff. de serui. urb. præd. Humanus est, uerbo generali omne lumen significari.

Vel sic: Verba generalia oportet generaliter accipere. l. j. ff. de legat. præstant. Generaliter autem parentes & liberos prætor excepit, nec gradus liberorum parentium enumerauit. In infinitum igitur eis præstabitur.

Similiter argumentatur in l. item apud Lab. ff. de iniur. Generaliter uetus prætor ad infamiam alicuius quid fieri. Proinde quodcumq; quis fecerit, uel dixerit, ut aliquem infamaret, erit actio iniuriarum.

I I. Posito genere, ponitur quælibet eius species & ex diuerso. Remoto genere, necessum est species eius remoueri. Quia Semper generalibus specialia insunt, dicit Caius, ff. de reg. iur. Vbi non habet locum conuentio, ibi nec transactio. Conuentionis enim uerbum generale est, ad omnia pertinens, de quibus negotijs contrahendi transigendiq; causa consentiunt, qui inter se agunt. Nec ullus dari potest contractus: qui sine conuentione subsistat.

Iustini. ius, l. fi. in prin. C. de usuris rei iud. Cum enim iam constituimus usurarum usuras penitus esse delendas: nullum casum relinquimus, ex quo huiusmodi machinatio possit induci.

Prohibita est alienatio & diuisio beneficiorum militarium seu (ut uocant) feudorum regalium, hoc est, quæ annexam dignitatem, & ab imperio cōceduntur tanquam immediata ipsius membra. Ergo omnes plane occassiones, quæ tendunt ad diminutionem talium beneficiorum censentur prohiberi. tit. de prohib. feud. aliena. per Frid. §. callidis. Qui pretio accepto quasi sub colore inuestituræ

stitutæ quam sibi licere dicunt, uendunt.

Vnde petitio quoq; hæreditatis uulgaris, quadoquidem actio est uniuersalis & difficillima: nullo modo accommodari potest ad ditiones (sicut appellant) regales individualias. Id quod superius quoq; demonstratum est loco, A' causa.

Qui per unam viam aliquid non potest, ei non aperitur alia, ut idem possit. Callistratus, l. fin. ff. de offi. procura. Cæsar. Curatores Cæsaris ius deportandi non habent: quia poenæ constituendæ ius non habent.

Remoto uel excepto pecore, simul etiam pastores ouillones, & ouili. t remouentur excipiunturq;. Qua in re filius iuris consultus hallucinabatur. l. fundi instrumento, in fin. ff. de fun. instr. instrumen. q; leg.

## I N F R A C T I O.

I. Generalis enuntiatio semper est periculosa. Rarum enim est, quin per exceptionem possit cuerti. l. omnis definitio. ff. de reg. iur. Præterea, generalem sermonem oportet restringere ad sensum iuris. Rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum, ait Julianus, ff. de reg. iur. l. ij. C. de noxalib. action.

Huc pertinent tacitæ iuris conditiones, ad quas omnis generalitas est redigenda. Vide suprà, Ab autoritate.

II. Non procedit ista argumentatio in his, quæ futura sunt, nisi nominatim exprimantur: nec in his, quæ uerisimile est sub generali sermone legis uel hominis non contineri. Paulus, ff. de uerb. oblig. Si à colono, cui fundum in quinquennium locaueram, post tres annos ita stipulatus fuero, Q V I D Q V I D T E D A R E F A C E R E O P O R T E T? non amplius in stipulationem deducitur, quam quod dari iam oportet, Si autem adjiciatur, O P O R T E B I T' V E: etiam

futura obligatio deducitur.

Vlpianus, ff. de pignorib. Obligatione generali rerum, quas quis habuit, habitur usue est, ea non continebuntur, quae uerisimile est quenquam specia-  
liter obligaturum non fuisse.

III. Remota specie non utiq; remouetur genus. l. in duobus. s. igitur si quis. ff. de iure iur. Contrà, si cum ex stipulatu IUDICATVM SOLVI conuenire-  
tur, iurauit se dare non oportere: agenti iudicati, non obstat exceptio. Poteſt enim fieri, ut non sit commissa stipulatio, licet res iudicata sit.

### A<sup>1</sup> S P E C I E.

S peciem dialektici definiunt eam esse, quae prædicatur de pluribus numero differentibus: hoc est, de individuis, quae numero distant, & nullam ulterius sui diuisionem ad-  
mittunt. Ut actio ex mutuo, prædicatur de mutuo Titij, de  
mutuo Seij, de mutuo Sempronij: quae numerari quidem  
possunt quot sint separatae actiones: sed actio ex mutuo  
Titij, nullam recipit diuisionem. Ergo actio ex mutuo, est  
Species. Cæterum, quando hac consideratione individuorum,  
species induat faciem generis, quod & ipsum de  
pluribus prædicatur: Cicero in Topicis A<sup>1</sup> forma nun-  
cupauit hanc argumentationem.

Et Alfenus, species pro forma accepit, in l. Propone-  
batur. ff. de iud. Quapropter cuius rei species eadem  
consisteret, rem quoq; eandem existimari. Vbi Ac-  
cursius bene dicit: species, hoc est, forma.

Nos tamen uulgatam uocem Species, ideo retinemus,  
quoniam de argumentationibus A<sup>1</sup> forma ductis, suo loco  
diximus. In præcedente autem titulo & hic, tractamus  
ratio

ratiocinationes, quæ colliguntur à rebus plura sub se complectentibus: quales sunt Genus & Species.

Interim meminisse oportet, Iurisconsultos in tanto negotiorum labyrintho, nolle ac ne posse quidem ligari ad uerborum seruitutem. Natura enim rerum inductum est, ut plura sint negotia, quam uocabula, dicit vopianus, ff. de præscript. uerb.

## F O R M U L A:

I. Generi per speciem derogatur. l. in toto. ff. de reg. iur. l. cùm de lanionis. §. cui fundum. ff. de fun. instr. uel instrum. leg. l. seruis urbanis, in fin. ff. de leg. iiij.

II. Species præcedens coarctat significatum generis sequentis. l. emptor prædij. §. Lucius Titius, ff. de pact. l. fin. ff. de triti. uino uel oleo legat. Quod si ita esset legitum uinum amphorarium, aminæum, & dulcia omnia: nihil inter dulcia, nisi quod potionis fuisset, legatum putat Labeo.

Imperatores. C. de transactionib. Si de certa re pacto transactionis interposito, hoc comprehendens erat, nihil amplius peti: & si non additum fuerat, E O N O M I N E: de cæteris tamen quæstionibus integra permaneat actio.

III. Remotis aut negatis omnibus speciebus: remouetur, & negari potest etiam genus. Ut, Non est obligatus ex contractu, neq; quasi ex contractu: non ex maleficio, neq; quasi ex maleficio: neque ex illis causarum figuris: Ergo non est obligatus. Instit. de obliga. §. sequens diuisio. l. j. in prin. ff. de action. & oblig.

Huic argumentationi adfinis sunt ratiocinationes, quas uocant. Sufficientem enumerationem, & Subiectionem.

Enumerationis exemplum est Instit. de de actionibus. §.

Actionum autem. Nam actio, quæ inter actiones bonaे fiduci numeratas non reperitur, ea est stricti iuris. Et, qui inter personas alieno iuri subiectas non inuenitur, is censetur sui iuris. Instit. de his qui sui uel alie. iur. sunt, in prin.

Subiectio autem est, quoties enumerantur multæ species interrogando, subiectis propere rationibus, per quas confutatur interrogatio, & consequenter generalis proposicio. Ut, si impugnaturus suspectam alicuius possessionem subito ditati, sic argumenteris: Quæro, Vnde iste tam pecuniosus sit factus? Amplum illi patrimonium relictum est? At patris bona uenierunt: Hæreditas aliqua obuenit? Sed à necessarijs omnibus ex hæredatus est: Præmium aliquod ex lite cepit? Non modò id non fecit, sed etiam insuper ipse grandi sponfione uictus est: ergo si his rationibus locupletatus non est, sicut omnes uidetis, aut isti domi nascitur aurum, aut unde non est licitum pecunias accepit, autore Cicero, lib. Rhetori. iiiij.

III. Posita una specie nominatim, remouentur omnes species non expressæ. Ut, Stipulatio est pura, Ergo non in diem, neq; sub conditione. Instit. de uerb. oblig. Omnis stipulatio, aut pure, aut in diem, aut sub conditione fit. Et l. Obligationum. in prin. ff. de act. & oblig.

#### I N F R A C T I O.

I. Enumeratio, nisi fuerit sufficiens, non præstat effectu argumentum, ut suo loco dicetur.

II. Quanquam genere sublatu tollitur species, ut supra probatum est: ex diuerso tamen propter unum speciem sublatam, non perit genus. l. in ratione legis falcidæ. §. incertæ autem. ff. ad leg. falcid. l. incendium. C. si cert. pet. l. in duobus. §. igitur si quis. ff. de iure iur.

Eadem ratione recte dici solet, Propter unū indiuividuum  
non

*non corrumpitur tota species. Vna uel altera exceptione  
non corrumpitur regula. Vna hirundo non facit uer.*

## D E T O T O.

Totum sane magnam habet cum genere similitudinē: & species sēpe accipitur pro parte. Iabolenus in l. quēstio est ff. de uerb. signific. Ager est species fundi. hoc est, pars. Vlpianus, in l.j. ff. de agnoscen. uel alend. liberiſ. Senatusconsultum, quod factum est de liberiſ agnoscendiſ, duas species complectitur. Id est, partes. Loquitur enim de Senatusconsulto Plautiano. Veruntamen alterum potest ab altero discerni hac differentia. Nam genus prædicatur de suis speciebus. Vt, Rei uindicatio est actio, Petitionis hereditatis est actio, Præscriptis uerbis est actio.

Totum autem non prædicatur de suis partibus. Neque enim rectē dicitur, Paries est domus, Tectum est domus, Mensis est annus. Censura de mulieris prægnantis denuntiatione, est Senatusconsultum Plautianum.

Totum autem est quadruplex, uidelicet, Totum integrale, quantitatis, uniuersale, in modo.

Quæ appellationes intellectæ, mirum in modum illustrant leges de multiplicitate rerum tractantes. Itaque ex his quomodo ducantur argumenta, primum generaliter, deinde, in speciem erit explicandum.

## A' TOTO GENERALITER.

## F O R M U L A.

I. Eleganter utitur hac argumentandi formula Paulus, ff. de regu. iuris. Cuius effectus omnibus proficit, eius & partes ad omnes pertinent. Effectus,

k 5      hoc

hoc est, perfectio rei, propter quam tota dici potest, ut praestet humanæ societati officium suum. Cicero : Non potest (inquit) cogitari quid sit id, quod nihil agit. Perinde igitur est ac si dixisset, quando totum prodest omnibus, tunc non possunt partes eius ad omnes non pertinere utiliter.

Vt ecce. Totum ius publicum pertinet officio suo mediate vel immediate ad omnium utilitatem : ergo & partes eius prosunt omnibus. Quales sunt, de sacris, de sacerdotibus, de magistratibus. l.j. §. huius studij. ff. de iustit. & iur. Item, de mari, de fluminibus, de littore, de ripis, de navigatione. Instit. de rer. diuision. §. & quidem naturali. l.j. ff. de fluminib. Denique, de tutelis, de educatione pupillorum, de rationibus distractiōnēs, de postulatione suspecti. Instit. de excusat. tutor. in princ. Nam & tutelam & curam placuit publicum munus esse. Martianus, l. munus propriæ. in princ. & l. pupillus, ff. de uerb. signific. Munus publicum est officium priuati hominis, ex quo commodum ad singulos uniuersosq; ciues, remq; eorum, imperio magistratus extraordina-rio peruenit. Quam definitionem obserua.

Et sic intelligendus est Modestinus, dum dicit : Tute-  
la enim non est reipublicæ munus, nec quo ad im-  
pensam. l. si duas. §. gentium praefid. ff. de excus. tut. Nam  
licet immediate non sit publicum, mediate tamen ad pu-  
blicam utilitatem pertinet.

I I. Quod ius est in toto, idem censetur in parte eius.  
Caius, ff. de rei uendic. Quæ de tota re uindicanda  
dicta sunt, eadem & de parte intelligenda sunt.

Venuleius, l. si duo plures' ue. ff. de admin. tut. Quan-  
tum enim facit in totum denegata, tantundem ua-  
let si in ea re, de qua agitur, denegata sit.

vlpian

Vlpianus, l. iuris gentium. §. adeo autem. ff. de pacis.  
 Si igitur in totum potest, cur non & pars eius pa-  
 rtione mutari potest? Idem ff. de except. rei iudic.  
 Si quis cum totum petisset, partem petat, exceptio  
 rei iudicatæ nocet. Nam pars in toto est. Eadem  
 enim res accipitur, et si pars petatur eius, quod to-  
 tum petitum est. Nec interest, utrum in corpore  
 hoc quæratur, an in quantitate, uel in iure.

Iulianus, l. qui scit, in princ. ff. de usuris. Et quemad-  
 modum si totum fundū alienum quis sciens pos-  
 sideat, nulla ex parte fructus suos facit, quoquo  
 modo sati fuerint: ita qui communem fundum  
 possidet, non facit fructus suos pro ea parte, qua  
 fundus ad socium eius pertinet. Instit. de fideicom.  
 hæredit. §. nihil autem interest. & §. quæ autem diximus. l.  
 qui scit, in prin. ff. de usuris. l. si seruus eius. ff. de acquiren.  
 hæredit. Nihil enim interest de uniuerso quæra-  
 tur, quod capere non possit, an de portione.

## I N F R A C T I O.

I. Cum in toto & partibus eius est dissimilis ratio iu-  
 ris, tunc non procedit haec argumentatio. Non enim sequi-  
 tur: Titius possedit uel uscepit totas ædes, ergo singulas  
 quoq; ædium partes possedit, uel uscepit. l. eum qui ædes.  
 ff. de usucap. Nam si singulas res possidere intelli-  
 geretur: ipsas ædes non possideret. l. adeo quidem. §.  
 illud recte queritur. ff. de adquir. rer. dom. l. qui uniuersas,  
 in prin. ff. de adquir. poss. Aliud exemplum est in l. si idē  
 cum eodem, in fi. Vtrum singulæ partes spectandæ  
 sint, circa iurisdictionem eius qui cognoscit: quod  
 Ofilio & Proculo placet: quia quisque de par-  
 te sua litigat. An potius tota res, quia tota res in  
 iudic

iudicium uenit, & uel uni adiudicari potest. Quod Cassio & Pegaso placet. Et sane eorum sententia probabilior est.

**M**odestinus, in l. iij. ff. pro derclieſt. Et quidem si in re communi socius partem suam dereliquerit, eius esse definit: ut hoc sit in parte quod in toto. Atquin totius rei dominus efficere non potest, ut partem retineat, partem pro derelicto habeat. **Q**uasi diceret, longe alia ratio est in re duorum communi, quam in re propria unius.

**I**I. Non ualeat collectio à toto, ad partes minus principales. Ut, ædes sunt. Ergo Menianū est. **Q**ui non omnes ædes habent Menianum uoluptatis gratia. At illatio tenet hæc. ædes sunt, ergo solum est. Nam ædium principalis pars est solum, sine quo non possunt subsistere. l. solum. ff. de rei uindic. l. eum qui, in princ. ff. de usucap.

**III.** Quoties tractatur de rebus indiuiduis, hoc est, quæ natura sui, iure, aut moribus, diuidi non possunt, toties cessat istud argumentum. Non enim procedit hæc illatio: Tota seruitus potest adquiri ex testamento, uel ex contratu, ergo & pars seruitutis adquiritur tali modo. l. pro parte. ff. de seruitutib. **Q**uanquam alia quadam ratione uerum est, adquisitam seruitutem retineri pro parte. l. ut pomum. &c. si prædium. ff. eod. tit.

Multo minus licet sic ratiocinari: Fœminæ aliquando adquirunt & administrant iure beneficiario, totos principatus & regna, uel ex pacto, uel ex moribus patrijs: Ergo fœminæ possunt partem hereditariam seu matrimoniale ex huiusmodi ditionibus petere. Cum enim ditiones (ut uocant) regales sint indiuiduae propter utilitatem publicam, non admittunt talem partitionem. tit. de prohib. feud.

feud. alien. per Frid. § præterea ducatus. Cùm autem totæ transferuntur, nulla contingit laceratio regalium ditionum: & proinde imperium non læditur.

Vnde mirum in modum grauiter Paulus, ff. de adquir. rer. dom. Quædam sunt, quæ non possunt sola alienari, tamen per uniuersitatem transeunt ad hæredem. Probatur l. in modicis. ff. de contrah. empt. & ibi glossa. c. cùm secundum. de iure patron.

## A' TOTO INTEGRALI.

**T**otum integrale est, quod ex pluribus inter se cohærentibus constat. Idq; dupliciter: Aliás enim artificiosa hominum opera multæ partes componuntur, ut integrum aliquod fiat usibus humanis commodum. Veluti, Aedes, Nauis, Armarium, Annus, Mēsis. l. rerum mixtura, in princ. ff. de usucaptionib. Vnde totum artificiale dicitur. Aliás natura rem sic produxit, ut partitionem sui admittat: Veluti, Locus, fundus, Vineæ, & omnes res diuiduae. Hinc totum naturale uocatur.

## F O R M U L A.

Quod de essentia totius integralis adfirmatur, id uerè etiam adfirmari potest de partibus eius. Ut, Aedes sunt, ergo solum est, uel superficies. Vtputa, cùm ædes ex duabus rebus constent, ex solo & superficie, dicit Iabolenus, in l. eum qui ædes, in prin. ff. de usucap.

Vlpianus, l. fructus. ff. sol. matrim. Quod in anno dicitur, potest dici & in sex mensibus.

## I N E R A C T I O.

Si una pars defit, non subsistet argumentatio à toto. Semper enim obseruanda est hæc regula, si negare uolueris totum, satis est unam partem inficiari. Sicut infra de

de partibus per exempla demonstrabitur.

A' TOTO QVANTITATIS.

**T**O<sup>m</sup> quantitatis accipitur dupliciter: Aliás, cùm nota uniuersalis adiicitur, Omnis, Quilibet, Nullus: que uelut totum quoddam comprehendit omnes partes eiusdem significationis: Ut, omnis seruitus est res incorporalis. Vox enim Omnis constituit totum quantitatis, comprehendens seruitutem prædiorum urbanorum, seruitutem prædiorum rusticorum, usumfructum, et usum. Instit. de reb. corporal. & incorporal. §. incorporales. & §. fi. l. i. ff. de seruitutib.

Huc pertinet infinita, quæ comparatur uniuersali propter generalem pronuntiationem. l. si pluribus, in prin. ff. de legat. ij. l. cùm aurum, in prin. ff. de aur. argen. mun. c. ex parte. de offic. delegat. c. pastoralis. de donationibus. Aliás totum quantitatis dicitur respectu partium numerabilium, uel quotatiuarum: Ut, cétum est quoddam totum, relatione facta ad quinquaginta, uiginti, decem, quinque, uel tria. Dimidia item, tertia, quarta, & cæteræ partes sunt, (ut uocant) quotitatiæ cuiuslibet rei diuisibilis.

F O R M U L A.

I. Qui omne dicit, is nullam excludit partem. l. hoc articulo. ff. de heredib. instit.

II. Quidquid uerè uel adfirmatur uel negatur de toto quantitatis, id etiam uerè potest adfirmari uel negari de partibus eius. Ut, Omnibus creditoribus, mulier causa. do-  
tis præfertur: ergo præferenda est & Caio creditor, & Sempronio. l. assiduis. C. qui potior. in pign. hab.

III. Nullus ex consilio non fraudulentio tenetur. l. consilij. ff. de reg. iuris. Ergo nec ille, qui consuluerit tibi

bona

*bona fide, ut pecunias tuas in emptiones prædiorum potius, quam in usuras colloces, tenebitur. l.ij. §.fi. ff. mandat. Et, qui iure patriæ potestatis, uel iure mariti, liberos uel uxorem moderate emendat, dolo caret. l.j. C. de emendat. propinquor. Et socius abutens re communi, excusatur à dolo malo. l. rei communis. & l. merito. ff. pro soc. Deniq; Nullus uidetur dolo facere, qui suo iure utitur, inquit Scæuola. ff. de reg. iuris.*

III. In eo quod plus est, semper inest minus, dicit Paulus, ff. eod. tit. si decem habeas, aut totam rem, recte argumentaberis te habere quinq; aut tertiam rei partem.

Vlpianus, l. diem proferre. §. si plures. ff. de recept. arb. Inde queritur apud Iulianum, si ex tribus arbitris unus quindecim, aliis decem, tertius quinq; condemnent, num sententiæ stetur? Et Iulianus scribit, quinq; debere præstari, quia in hanc summam omnes consenserunt.

Paulus, l. si unus. ff. de pact. Si, cum mihi decem deberes, pepigero, ne à te uiginti petam: in decem tibi prodesse pacti conuenti uel dolii exceptionem.

Vlpianus, l.j. §. si stipulanti. ff. de uerb. oblig. Licet enim oportet congruere summam: attamen manifestissimum est, uiginti & decem inesse.

Iabolenus, l. cum furti. ff. de in lit. iurand. Cum furti agitur, iurare ita oportet: tanti rem fuisse, cum fursum factum sit: non adiici, E O P L V R I S: quia quæ res pluris est, utique tanti est.

Vlpianus, l. quoties uolens. §. sed si non in corpore. ff. de hæred. instit. Sed si maiorem partem adscripsérit testamentarius, uel (quod difficilius est probatu) ipse testator; ut, pro quadrante semissem: Proculus

culus putat, ex quadrante fore hæredem: quoniam insit quadrans in semisse.

*Paulus, l. qui quartam. ff. de legat. j. Proculus recte ait, posse defendi quartam legatam: quia inest dimidiæ.*

#### I N F R A C T I O.

I. In toto quantitatis, quod per notam uniuersalem constituitur, si una pars deficiat: argumentum fit uitiosum stricto iure. *Iulianus, in l. si is qui ducenta. §. utrum ita. ff. de reb. dub.* Id accidit, quia significatio sumitur ex uniuerso: in quo si aliquid falsum est, totam orationem falsam efficit.

II. Ex bono & æquo uniuersalem pronuntiationem intelligi ac determinari oportet, secundum qualitatem personarum, rerum, & temporis. Quam ob rem notæ uniuersales, Omnis, Nullus, Quilibet, orationes item indefinitæ, uniuersalibus comparandæ. nunquam latius porrigitur, quam iuris & æquitatis ratio admittit. *l. in prouinciali. §. fin. ff. de noui oper. nuntiat.* Si in publico aliquid fiat, omnes ciues opus nouum nuntiare possunt. Non tamen mulier. *l. mulieri. ff. de popular. actionib.*

Huc pertinet, quod *Vlpianus utiliter admonet. ff. de reg. iuris.* Omnis definitio in iure ciuili periculosa est. Rarum est enim, ut non subverti possit.

#### A' T O T O V N I V E R S A L I.

**T**otum uniuersale est, quod multas habet partes ita subiectas, ut ad unum respiciant & uertantur. Inde enim uniuersitas dicitur: ut, *Collegium, Academia: Et, Vniverfa res, pro, Tota res. l. Mænius qui. §. fi. ff. fa. ercisc.*

*Totius*

Totius autem uniuersalis duplex est consideratio. Altera personarū: ueluti, Ducatus, Comitatus, Ciuitas, & quodlibet corpus eōdem spectans. I. j. ff. quod cuiusq. uniuers. nom. Institut. de rer. diuisio. §. uniuersitatis.

Altera rerum: Et hæc rursus duplex. Iuris: ut, hæreditas, dos, peculium. I. item ueniunt. §. non solum autem ff. de petitio, hæredit. Facti: ut, grex equitium: armentum. I. j. §. Per hanc ff. de rer. uindica.

Hoc quoq; animaduertendum, quod uniuersi significatio nonnunquam refertur ad totum quantitatis. I. talis scriptura. in fin. ff. de legat. j. Hanc autem scripturam, non solum ad præcedentia legata, sed ad uniuersa, quæ testamento adscripta sunt, extendi. Ad uniuersa, hoc est, ad omnia.

## F O R M U L A.

Qui totum uniuersale petit, is partem etiam petere censetur. Vlpianus. I. j. §. j. ff. si pars hæred. petat. Et ideo siue ex asse hæres sit, totam hereditatem uindicabit, licet tu unam rem possideas.

## I N F R A C T I O.

Quando tractatur de eo, quod toti uniuersali propriè competit, tunc non procedit argumentatio. Vlpianus in I. ij. & I. sicut municipum. ff. quod cuiusq. uniuers. Si quid uniuersitati debetur, singulis non debetur: nec quod debet uniuersitas, singuli debent.

## A' TOTO IN MODO.

Totum in modo dicitur, cuius partes consistunt in aliqua accidentalí qualitate. Ut ecce, Qui posidet, emit, conducit rem: is aliás bona fide, aliás mala fide, aliás perpetuo iure, aliás momentario iure rem habet. Itaq; posseſſio,

sio, emptio, uenditio, locatio, conductio, & quodlibet negotium potest censeri totum, quod habet partes ex modo & circumstantia quadam rerum, personarum, uel temporis.

Eodem modo qualitates & circumstantiae iuris & aequitatis constituunt partes alicuius negotij: quod alias iuste, alias iniuste consideratur factum.

## F O R M U L A .

Non contraxit Titius, ergo ius perpetuum ex contractu non adquisiuit. Non possedit, ergo nec bona fide possedit. I eius qui in prouincia. ff si cert. pet. Quoniam tunc non possent uideri possessores bona fidei esse, qui nec possidendi animum haberent. Itaq; adfirmando non procedit ista collectio. Siquidem non sequitur necessario, Contraxit Titius, ergo recte contraxit: Possedit, ergo bona fidei possessor fuit. Quanquam coniectura interim iuuat possessorem. Instit. de interdict. §. retinendae possessionis. l. fin. C. de rei uindicat.

## A' P A R T E .

**Q**uemadmodum à toto ad partes uidimus duci argumentationes ualidas: ita è diuerso, A' parte ad totum efficaciter colligi possunt. Et diuisioni totius quadruplici, respondet quadruplex partium diuisio, uidelicet, ut aliæ sint partes integrales, aliæ partes Quantitatis, aliæ partes Vniuersales, aliæ partes in modo. A' quibus singulis uidendum est, quatenus argumenta ducantur. Quinimò, subsistit aliquando argumentum à parte, quod à toto non procedit: ueluti, si quis filios familias mandauerit, ut adiret hæreditatē, falso existimans eum ex asse institutū: certè nō censembitur iussisse, ut ex parte adiret: ubi pro parte fuit institutus. At contrà, si ex parte iusserit, uidebitur etiam mand

mandasse, ut totam hæreditatem adiret, si uerum sit, in solidum fuisse institutū. I. si quis mihi bona fide. § sed si mandauit. ff. de adqui. hær. arg. I. diligenter igitur. §. fi. ff. m. indat.

A' PARTIBVS  
integralibus.

**P**artium integralium definitio satis adparet ex definitione Totius integralis. Sunt enim partes integrales mebra, quae simul lecta & numerata, totum efficiunt integrū.

Harum autem partium integralium quaedam sunt homogeneiae, hoc est, eiusdem generis & substantiae cum toto. Et propterca sub nomine totius comprehenduntur: Ut, quælibet pars aquæ, aqua est & appellatur. Et, quælibet pars fundi, fundus est ac nuncupatur. I. locus. ff. de uerb. sig.

Aliæ autem res quæ diuidi possunt, diuersæ plerunque sunt subst. antiæ cum partibus, atq; diuersa habent nomina. Veluti, ædium partes diuersam substantiam & diuersa nomina sortiuntur. Ut, solum, parictes, tecta, menianum.

## F O R M U L A.

I. Grauiter admodum Caius hoc uititur loco in l. j. ff. de orig. iur. Sed quod in omnibus rebus animaduerto id perfectū esse, quod ex omnibus suis partibus constat. Qui ergo tractans aliquid docendo uel respōden- do prætermittit principium: is mancam & imperfectam traditionem frustra edit, nempe optimam omittens partē.

II. Si uolueris negare totum, satis est unam tantū partem uerè inficiari. Sin autem totum adserere intendas, oportet omnes ostendere partes ad substantiam eius necessarias.

Vt ecce: Si neges domum esse, sufficit ut teclum desideretur. Quod si adseras domum esse, probatio exigitur omnium partium.

Testamentum ex solo testium defectu recte impugnatur.  
At probari non potest, nisi omnibus simul ostensis parti-  
bus solennibus, de quibus in l. hac consultiss. C. de testa,

Prouocatio ab interlocutoria sententia praejudiciali, re-  
cte confutatur, si duntaxat probatum fuerit, causam non  
censeri legitimam appellationis. Adserens uero appella-  
tionem ab interlocutione validam esse, necessario pro-  
babilit omnes eius partes: uidelicet, Prouocatum esse ex scri-  
pto, intra decem dies, ex legitima causa, iudice, si copiam  
sui faciat, presente: petitis intra triginta dies apostolis. l.  
penulti. C. quor. appell. non recipiun. l. ij. C. de episco. au-  
dient. c. ut debitus. de appellatio. c. j. & c. ab eo qui. eod. tit.  
lib. vii. l. j. ff. de libell. dimisso.

III. Enumeratis omnibus cuiusq; rei partibus, inferri  
recte potest totum esse: ut, fundamenta, paries, tecta sunt:  
ergo domus est. Et contra: negando procedit. Quanquam  
meminisse oportet eius quod dictum est: in argumentatio-  
ne à partibus integralibus negatiua sufficere, unam par-  
tem principalem desiderari: Tectum non est, bene sequi-  
tur, Ergo non est domus. In partibus autem homogenijs,  
uitiosa est illatio negatiua. Non enim sive rei amphibolo-  
gia dici potest, Non habes aquæ partem, ergo non habes  
aquam. Nisi adiiciatur aliqua determinatio: ut, Non habes  
partem aquæ, ergo non habes totam aquam. Ambiguitas  
ex eo causam trahit, quoniam omnes partes homogeniae,  
eiusdem sunt appellationis cum toto.

### A' P A R T I B V S quantitatis.

Partium quantitatis definitio duplex, colligitur ex du-  
plici definitione totius. Quaecunque enim continentur  
eadem

eadem significatione sub nota uniuersali adfirmatiua uel negatiua, dicuntur partes quantitatis. Et quae sub aliquo pluri-  
ali numero comprehenduntur, partes quoque quantitatis  
solent appellari. Veluti, cum dico, Omnis actio: satis adpar-  
ret, actionem esse totum: actionem autem in rem, actionem  
in personam, actionem ciuilem, actionem criminalem, &  
ceteras, censcri partes quantitatis. Et si numerum certum  
constituas, puta decem: numeri ab eo descendentes, meritò  
consentur partes quantitatis. Veluti, unus, duo, tres, qua-  
tuor aurei, usq; ad decem. Aut si assēm ponas, quam diui-  
das in partes, puta, dimidiā, quartam, tertiam, & ceteras.  
Instit. de hæred. instit. §. Hæreditas.

A<sup>1</sup> partibus autem quantitatis argumentatio procedit  
rarius: propter nimiam disparitatem inter totum & par-  
tem. Neq; enim sequitur. Actio ex contractu est in personā:  
Ergo omnis actio est in personam. Decem aurei debentur:  
ergo tota numorum quantitas debetur.

Itidem negando male infertur, Decem aurei non deben-  
tūr, ergo nulla numorum quantitas est debita. Pars tertia  
rei est mea, ergo tota res mea est. Hæ profecto illationes  
sunt uitiosæ. Nonnunquam tamen tenet illatio ab huius-  
modi partibus ad totum quantitatis: quod ex sequentibus  
formulis animaduertes.

## F O R M U L A.

I. Ab omnibus recte numeratis partibus, ad totum  
quantitatis, ualeat collectio, ut suprà dictum est.

II. In qualitatibus tam ad partes, quam ad totum  
quantitatis necessariò requisitis, hoc est, sine quibus neque  
totum neq; partes possunt subsistere, tenet argumentatio à  
partibus ad totum quantitatis. Veluti, Actio in rem, est ius  
persequendi: Ergo omnis actio, est ius persequendi. Actio

*ex contractu emptionis & uenditionis, non est in rem,  
Ergo nulla actio ex contractu, est in rem.*

Huc referri potest ratiocinatio, qua Papinianus utitur, à parte fundi legati, ad totum fundum legatum. l. si unum ex familia, in prin. ff. de legat. ij. Si duos de familia non æquis portionibus hæredes scripserit, & partem (forte quartam) extero eiusdem fundi legauerit: pro his quidem portionibus, quas iure hæredatio retinent, fideicommissum non magis petitur, quam si alteri fundum prælegasset.

III. Quantitas aliquando debetur ad instar speciei: quo casu ualidum est argumentum. ut, Numi in arca legati, non debentur: Ergo nulla quantitas debetur. l. talis scriptura, in fi. l. sed si certos. ff. de legat. j. Paulus, ff. de uerbo. oblig. Si certos numos, puta qui in area sunt, stipulatus sim, & hi sine culpa promissoris perierint: nihil nobis debetur.

### A' P A R T I B V S subiectiuis.

**P**artes subiectiue nuncupantur respectu totius universalis: quia in hoc à reliquis speciebus potissimum discernuntur, quod subiectione quadam ad unum uersæ sunt, ut supra diximus.

### F O R M U L A.

Collectionem facit Vlpianus à partibus hæreditatis caducis, ad totam hæreditatem caducam. l. item uenient. ff. de petitio. hæred. Ait Senatus. CVM ANTE, QVAM PARTES CADUCAE FISCO PETERENTVR. Vlpianus: Hoc euenerat, inquit. Quasi dicat. causus ita se ex facto obtulerat, cum senatus consultum fieret, quod

quod partes hæreditatis à fisco petitæ essent caduceæ. Sed si ex asse fiat: senatusconsultum locum habebit. Ergo idem ius statui de tota hæreditate caduca, quod de partibus caducis Senatui Romano placuit. scilicet, ne exigentur usuræ de pretio hæreditatis uenditæ.

## A PARTIBVS IN MODO.

**P**artes in modo censentur ex qualitatibus & circumstantijs negotiorum facti uel iuris, ut suprà diximus de toto in modo.

## F O R M U L A.

Adfirmando procedit, non etiam negando: Posset malæ fide, ergo uerum est eum possedit. Aut uitiosa est collectio, si dicas: Non posset mala fide, ergo non fuit possessor. Potuit enim alio modo possidere.

## A B E X C E P T I O N E.

**E**xceptionem hic accipimus per quam à definitione, uel à regula, uel à generali propositione aliquid separatur in eodem genere.

## F O R M U L A.

I. Qui unum uel alterum nominatum excipit, is censetur in cæteris firmare generalem definitionem seu regulam. l. quæsum est. §. deniq; Neratius. ff. de fun. instr. uel instrum. legat. Deniq; Neratius libro quarto epistolarum Marcello fratri suo respondit: etiam uestem domus instructæ legato contineri: maximè in proposita specie. Proponebatur enim, qui legauerat, argentum & rationes exceperisse. Nam qui hæc excipit: non potest non uideri, de cæteris rebus, quæ in ea essent, sensisse.

*Paulus in l. cùm prætor. ff. de iud. Cùm prætor unum ex pluribus iudicare uetat, cæteris id committere uidetur.*

*Caius in l. patri. ff. de minorib. Patri pro filio omnimodo præstanda restitutio est, licet filius restitui noluit: quia patris periculum agitur, qui de peculio tenetur. Ex quo adparet, cæteros cognatos uel adfines alterius esse conditionis: nec aliter audiri oportere, quām si ex uolūtate adolescentis postulēt.*

*Pomponius in l. j. ff. de aur. argen. mund. Si alijs uestimenta, alijs uestis muliebris separatim legata sit: detractis muliebribus, & ei adsignatis, cui specialiter legata sunt: reliquum alteri debetur.*

*Iustinianus Nouell. de non alienan. aut permutan. §. ut autem Constitut. lex. viij. Necessarium existimamus, quasdam exceptiones dare legi, cum multis uigilijs & subtilitate adinuentas: ut eas habens in auxilio lex, nequaquam moueatur.*

*II. Quod de uno in speciem conceditur: id de alijs generaliter prohibetur. Et contra, Quod de uno specialiter prohibetur: id de alijs in commune conceditur. l. quod uero. & l. seq. ff. de legib. l. maritus. iuncta. l. j. & l. procuratorem. C. de procur. l. uxorem. §. fœlicissimo. ff. de legat. iiij.*

*Huc pertinet quod dicitur, Speciem eximi de genere, ut inquit Paulus, l. si peculium. in prin. ff. de manumiss. testam. Et, Semper species generi derogat, sicut ait idem in l. seruis urbanis, in fi. ff. de legat. iiij.*

*III. Sicut in generali sermone accessorium sequitur principale: ita in eo quod exceptum est, accessoria non sunt separanda. Probatur ualde utiliter in l. fundi instrumento. ff. de instructo, uel instru. legat. Excepto enim pecore: pastores*

Pastores ouiliones, ouilia quoq; continentur. Qua in re  
O filius ipse hallucinabatur.

Item, in generali petitione uel alienatione, excipitur  
beneficium militare. Ergo omnia eius necessaria simul  
etiam excipi censentur. tit. si de feud. defunct. cont. sit. §. in  
generali. & tit. de capita. qui cur. uend. in prin.

## I N F R A C T I O.

Non tenet argumentum, quando uoluntas loquentis  
refragatur. l. cum de lanionis. §. cui fundum. ff. de instructo  
uel instrum. legat. Quod appareret, non intellexisse  
patrem familias, instrumento quoque seruos ad-  
numeratos. l. item ueniunt. §. aptanda est igitur. ff. de  
petit. hæred. Vbi Senatus consultum loquens de specie ca-  
ducorum bonorum, habet locum in uacantibus quomodo-  
cunque. Et licet ob publicam causam factum sit, obtinet ta-  
men etiam in priuatis.

## A' S C R I P T O.

H Ac argumentatione: uerba scriptorum, siue publi-  
corum, siue priuatorum, bona fide tueri licet.

## F O R M U L A.

I. A' uerbis, hoc est, à propria uerborum significa-  
tione, sine legitima causa non est recedendum. l. j. §. sed si  
sciente. ff. de exercito. actio. In re igitur dubia, melius  
est uerbis edicti seruire. Idem, l. prospexit, in prin. ff.  
qui & à quib. manum. Quod quidem perquam du-  
rum est, sed ita lex scripta est. l. non aliter. ff. de legat.  
iij. l. j. §. sin uero talis. C. de caduc. tollend. Vbi coniungit  
uerborum conceptionem. cum facti natura. l. si uero nego-  
tium. §. de uiro. ff. sol. matrim.

Hic locus multis modis confirmari potest. Primum.

Si indicabimus: multa incommoda sequi, ubi permisum fuerit, ut à scripto recedatur paßim. Nam & eos, qui aliquid scribant, non existimatuos, id quod scripserint, ratu futurum: & eos, qui iudicent, certum, quod sequantur, nihil habituros, si semel à scripto recedere consueuerint, ut ait Cicero de inuention. lib. ij.

Deinde, Si admonuerimus: propius accedere ad scriptoris uoluntatem eum, qui ex ipsius eam literis colligit: quam illum, qui sententiam scriptoris, non ex ipsius scripto spectat, sed ex aduentitijs suspicionibus perscrutatur. Neque enim uideri quenquam dixisse id, cuius non suo nomine usus sit. Et quanquam prior atq; potentior est mens, quam uox dicentis: tamen nemo sine uoce dixisse existimatur. l. Labeo ait. §. fi. ff. de supell. legat.

Præterea, Si ostenderimus, scriptori neque ingenium, neque operam, neque ullam facultatem defuisse, quo minus posset perscribere id, quod cogitaret: nec fuisse ei graue, neque difficile, eam causam excipere, quam aduersarij proferunt, si quidquam excipiendum putasset. Quapropter ubi lex scripta non excipit aut distinguuit: ibi nec nos excipere aut distinguere debemus. l. de pretio uero. ff. de publician. Quinimo ea est ipsius scribentis sententia, ut uerborum seriem non excedamus. d.l. de pretio. Vnde potest coniectura capi, quasi nec sententia prætoris ea sit, ut requiratur, an solutum sit pretium. Scilicet, quoniam pretij nullam fecit mentionem.

Postremò, Si proposuerimus, eos, qui ex lege iurati iudicant, legibus obtemperare debere. l. rem non nouam. C. de iudic. Nouell. de iudic. §. Omnis deniq;. Constit. lxxxij. Obtemperare autem legibus nemo potest, nisi scriptum legis sequatur. Alioquin interpretationibus adfectatis  
potius

*potius obtemperare censebitur, quam legibus.*

Optimus ergo modus est allegandi iuris, ut uerba legum adscribantur. Nam Energiae aliquid habent ipsa autorum uerba. Modeslinus, l. j. ff. de excusat. tut. Apponam dicendorum narrationi etiam ipsa legum uerba, si necesse erit: ut dicendorum simul & legendorum usum habentes, integritatem indigentibus & utilitatem præbeamus.

## A' SENTENTIA.

PER hanc argumentationem defenditur sententia cuiuslibet scripti iusta interpretatione collecta, aduersus ipsam uerborum structuram.

## FORMULA.

Vt uera scripti sententia seruetur, à uerbis nō nihil recessendum est. Habet hic quoq; locus plurimas confirmationes. Impp. Theodosius & Valentinianus. C. de legib. Non dubium est, in legē committere eum, qui uerba legis amplexus, cōtra legis nititur uoluntatem.

Cicero pro Cecinna: Quæ lex (inquit) quod Senatus-consultum, quod Magistratus edictum, quod fœdus aut pactio, quod (ut ad priuatas res redeam) testamentum, quæ iudicia aut stipulationes, aut pacti & conuenti formulæ non infirmari aut conuelli potest, si ad uerba rem deflectere uelimus: consilium autem eorum qui scripserunt, & rationem & autoritatem relinquamus? Sermo hercule & familiaris & quotidianus non cohæredit, si uerba inter nos aucepabimur. Deniq; imperium domesticum nullum erit, si seruulis hoc nostris concesserimus, ut ad uerba nobis obedient, ut ad id, quod ex uerbis intelligi posset, obtemperent. Et paulò inferius. Quid? (ait) uerbis

uerbis satis hoc cautum erat? Minime. Quæ res igitur ualuit? Voluntas: quæ si tacitis nobis intelligi posset, uerbis omnino non uteremur, quia nō prodest. Verba reperta sunt, non quæ impedirent, sed quæ indicarent uoluntatem.

Celsus, ff. de legib. Scire leges non est, uerba eorum tenere, sed uim & potestatem. Et l. seq. Benignius leges interpretandæ sunt, quo uoluntas eorum conseruetur.

Scæuola, l. cùm mulier. ff. solut. matrim. Sed & si ex mente legis sumat quis, ut nec accusare possit, qui lenocinium uxori præbuit, audiendus est.

Modestinus, l. scire etiam oportet. §. aliud etiam. ff. de excus. tutor. Sed & si maximè uerba legis hunc habeant intellectū, tamē mens legislatoris aliud uult.

Paulus, ff. si quis ius dic. non obtemp. Quamvis non adiūciat prætor, causa cognita se poenale iudicium daturum: tamen Labeo ait, moderandam iurisdicationem, si poeniteat libertum, & actionem remittat; uel si patronus uocatus non ueniat, aut nō inuitus uocatus sit: licet edicti uerba non patientur.

Papinianus, l. cùm pater. §. fidei tuae committo. ff. de legat. ij. Nam ordo scripturæ non impedit causam iuris ac uoluntatis.

Paulus, l. adigere. ff. de iure patr. Quamvis nulla persona lege excipiatur: tamen intelligendum est, de his legem sentire, qui liberos tollere possunt.

Mætianus, l. quisquis mihi. ff. de legat. iiij. Voluntatem defuncti præterea, quæ maximè in fidei commissis ualeret, ei sententiæ iuffragari.

Paulus, l. cum de Lanionis. §. asinam molendinariā. ff. de instructo uel instrum. Optimum ergo esse Pedius ait, non

non propriam uerborū significationem scrutari:  
sed in prīmis quid testator demonstrare uoluerit.

*Paulus, l. promittendo. ff. de iure doti.* Magis enim  
res, quām uerba intuenda sunt.

*Iabolenus, ff. de uerb. signifi. QVIS QVIS MIHI  
ALIVS FILIVS, FILII VE HAERES SIT.*  
Ait Labeo non uideri filiam contineri. Proculus  
contrā. Mihi Labeo uidetur uerborum figuram  
sequi. Proculus mentem testantis. Respondi: Non  
dubito, quin Labeonis sententia uera non sit.

### CONCILIATIO HORVM locorum.

**N**on pugnat hic locus cum præcedenti: sed uterque  
suum habet in iure officium & utilitatem probādi.  
Præcedens enim accipiendus est de externa uerborū stru-  
ctura, quam nulla rātio suadet immutari. Hic uero intelligendus  
est de interna orationis uī, quæ uerba ad se trahit.  
Alioqui, cū nulla adpareat æquitatis ratio, summa est im-  
pudentia, scripti uerba rei scere, aut perperam torquere.  
Id enim non esset ueram significationem amplecti uel in-  
terpretari: sed falsam comminisci ac cauillari.

Est autem duplex uis & significatio, cui respondet  
duplex interpretatio: uidelicet, Verborum & Rerum.  
Quia bifariā aliquid ostenditur seu declaratur: aliās  
uerbis, aliās rebus & factis. *Iulianus, l. de quibus. ff. de  
legib.* Nam quid interest suffragio populus uolun-  
tatem suam declarat, an rebus ipsis & factis?

*Vlpianus, l. ij. §. ignominiae causa. ff. de his qui not. infā.*  
Sed & si ita exautorauerit, ut insignia militaria de-  
traheret: inter infames efficit, licet non addidit:  
ignom

ignominiae causa se ita exautorasse. Pomponius, l. si tamen. §. ci qui ff. de ædil. edict. Multo enim amplius est id facere, quam pronuntiare in uinculis fuisse. Imp. l. reprehendenda. C. de instit. & substit. Tu porro uoluntatem eius comprobasti diuortio.

Eleganter Paulus, l. certum est. ff. si cert. petat. Nam & Pedius libro primo de stipulationibus nihil referre ait: proprio nomine res appellantur, an dígito ostendantur, an uocabulis quibusdam demonstrentur, quatenus mutua uice fungantur, que tantundem præstent.

Verborum significatio est, quæ ex uocabulis proficiuntur, quorum ministerio uti solemus ad demonstrandas res ex certo & communi usu linguarum. l. Labeo ait. ff. de supellecili legat. Hanc recte uocauerimus exteriorem significationem uel interpretationem: quia respicit dunt taxat externam uocabulorum naturam & proprietatem: ideoq; merito prior nuncupatur, nec est contemnenda. Nam qui uirtutes uerborum ignorant, ijs faciliter imponi potest, ut admonet Aristoteles in Elenchis. Eam ob rem Vlpianus interpretationem suam rectissime exorsus est à significatione tituli, in l. j. in prin. ff. si cert. petat.

Rerum significatio est, quæ ex ipsis rebus uel factis deprehenditur, certo quodam ac infallibili mentis conceptu, etiam si uerba desint, aut obscuriora uideantur.

Hæc appellatur, uis, potestas, uirtus, autoritas, mens, sententia. l. legis uirtus. l. scire leges. ff. de legib. Quemadmodum enim, cum ad interpretationem perueniendum est, uerborum significatio primum extrinsecus inspicitur: ita si per illum nobis satisfieri non possit, ad interiorum aliquam demonstrationem recurrentum est, ex certis rei aut negotijs

negotij causis elucentem.

Quanquam igitur uerborum significatio uel interpretatio est prior, rerum tamen est potior, ubi uera mens scripti non potest aliter procedere: nec pugnant inter se huiusmodi significationes, sed altera cedit alteri. *Vlpianus, l. nominis. ff. de uerbor. signific.* Verbum ex legibus, sic accipiendum est, tam ex legum sententia, quam ex uerbis. *Papinianus, ibidem:* In conventionibus contrahentium uoluntatem potius quam uerba spectari placuit.

Porro, ut ius summum in genere non pugnat cum aequitate, quod interdum ab ea uincitur. *l. placuit. C. de iudic.* *l. si ita uulneratus, in fin. ff. ad legem Aquil.* *l. si seruum stipulatus. s. sequitur uidere. ff. de uerb. oblig.* Sic generaliter uerborum significatio non refragatur significationi rerum, etiam si in multis speciebus, altera præcedit alteram, cum de uera interpretatione queratur.

*Paulus, l. pediculis. s. Labeo. ff. de aur. argent. mund.* Sed non mutauit substantiam rerum non necessaria uerborum multiplicatio.

*Marcellus, l. Publius Mævius, in fi. ff. de cōdi. et dem.* Et uerba quidem uideri representare fideicommissum. Sed non esse uerisimile, ut maturius uoluerit testatrix ad substitutos id transferri.

Hinc adparet primum, quod qui uerba tantum intuetur, neglectis rebus, is umbram quidem scripti uel legis uidet: ipsam uero legem, hoc est, quid uelit, minime getium uidet, non magis, quam psittacus percipit eas uoces, quas imitatione quadam recitare solet. *l. scire leges. ff. de legib.*

Deinde, quod fraus humano generi permitiosa legi fit: ubi id fit, quod fieri noluit, fieri autem non uetus uerbotenus:

nus : & quod distat p̄n̄lōp̄ à tw̄d̄ d̄ iāvoīas, hoc est, uerbis expressum, ab agitatione mentis : hoc distat fraus ab eo, quod contra legem sit, autore vlpiano. l. fraus enim. ff. de legib. Non enim oportet ius ciuile calumniari, neq; uerba eius captari : sed qua mente aliquid diceretur animaduertere conuenit, ut dicit Paulus, l. penult. ff. ad exhibend.

Postremo & hoc constat ex prædictis, quod uerborum significatio exterior, potest torqueri ad falsa per amphibologiam & cauillationem. l. qui quadraginta, in princ. ff. ad leg. Falcid. l. ea est natura. ff. de reg. iuris.

Rerum uero significatio seu interpretatio interior, propter certissimum conscientiae iudicium euerti tandem non potest. Breuiter igitur de usu horum locorum, à scripto, uel à sententia, sic definiendum est.

In omnibus scriptis priuatis atq; publicis id sequimur, quod uerba demonstrant non ambigua : nec est tum locus interpretationi alienæ. Rerum enim uocabula immutabilia esse, vlpianus dicit in l. si quis in fund. ff. de legat. j. & ita procedit locus, à scripto.

I I. Vbi uerba sunt dubia, & possunt ad diuersas accommodari sententias per interpretationem: ibi præferēdū fuerit ea sententia, quæ ad subiectam materiam propius accedit ut à uerbis prorsus nō recedatur. l. quoties idē sermo. ff. de reg. iuris. & sic utriq; loco in una atq; eadē oratione aliquid tribui potest, hoc est, uerborū et rerū significationi seu interpretationi. Ut sunt exempla in l. j. ff. de colla. boni. l. j. §. cūm dos. ff. de do. colla. l. Sulpitius Marcello. ff. de do. int. uir. & ux. Vlpianus, l. j. §. sed si sciente. ff. de exer. act. In re igitur dubia melius est uerbis edicti seruire.

I II. Quoties in una eademq; negotij specie aliud aperte

aperte representat uerborum significatio, aliud res ipsa: toties rerum domonstrationem præferri oportet, iuxta ti. Plus ualere quod agitur, quam quod simulatè concipitur.

Tunc enim censetur pugnare ueritas cum falsitate. Veritas, in rebus ipsis posita est: falsitas in lenocinijs uerborum. l. si quis. ff. Ad leg. corn. de falso. Si quis obrepserit præsidij prouinciae: tam per acta, quam per libelli interpellationem nihil agit.

Cicero grauiter, de legibus: Nam ueteres (ait) uerbote-nus acutè quidem illi, sed non ad hunc usum populararem atq; ciuilem de republica differebant. Idem de Inuent. lib. j. Omnes leges ad commodum reipublicæ referri oportet: eas ex utilitate communi, non ex inscriptione, quæ in literis est, interpretari. Ea enim uirtute & sapientia maiores nostri fuerunt, ut in legibus scribendis nihil sibi aliud, nisi salutē & reipublicæ utilitatē proponerent, neq; ipsi quod obesset scribere uolebant. Et si scripsissent, cum esset intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum causa saluas esse uult, sed reipublicæ: quod ex legibus omnem rem publicam optimè putant administrari. Quamobrem igitur leges seruari oportet: & ad eam causam scripta omnia interpretari conuenit, hoc est, quoniam reipublicæ seruumus, ex reipublicæ commodo atq; utilitate interpretemur. H.ec ille. Ideo rectissimè dictum est: Non uerbis, sed rebus legem imponi. l. omne uerbum. C. commu. de legat.

III. Cum utraq; significatio, tam uerborum, quam rerum est dubia: tunc ex arbitratu boni uiri petendum est interpretis consilium, iuxta regulam l. semper in obscuris. l. quoties dubia. & l. semper in dubijs. ff. de reg. iuris.

Exempla sunt in l. si societatem. §. arbitrorum. ff. pro so-

cio. l. si libertus ita ff. de oper. libert. l. si quis arbitratu. ff.  
de uerb. oblig. l. iij. C. de dot. promis. l. quæ situm. ff. de testib.  
Ad quorum officium pertinet, eius quoque testi-  
monij fidem, quod integræ frontis homo dixerit,  
perpendere.

## A B O R D I N E.

**V**Erißimum est adagium, Ordinem deserere, pro  
eo quod est, Rem perperam agere. Nam ordo est  
quædam rei gerendæ apta series, sine qua nihil potest rectè  
fieri. Iustinianus, l. ulti. C. de legit. tute. Sic enim pu-  
pillis & adultis competens gubernatio inducitur,  
& naturalis ordo per omnia conseruabitur. Cui  
etenim ferendum est, eundem esse tutorem, & sub  
cura agere. Hæc certè & nominum, & rerum fœ-  
da confusio est.

Callistratus. l. honor municipalis ff. de munc. & honor.  
Gerendorum honorum non promiscua facultas  
est, sed ordo certus huic rei adhibitus est.

Imperator quoq; ab ordine institutionis argumentatur  
in l. j. C. de edict. diui. Adriani toll.

Accedunt, titu. ff. quis ordo in bonorum possessione ser-  
uet: ir. Et C. de ordine iudiciorum, de ordine cognitionum,  
& cæteri id genus.

Ordo quoq; pro solennitate accipitur. Instit. de interdict.  
in fin. De ordine & veteri exitu interdictorum su-  
peruacuum est hodie dicere. Nam quoties extra  
ordinem ius dicitur (qualia sunt hodie omnia iudi-  
cia) non est necesse reddi interdictum. Tractatur obi-  
ter talis ordo, Instit. eo. tit. & C. de iuris formulis.

Hinc ordo iudicarius, series illa solēnis dicitur, quæ ad  
inuest

inuestigandam negotij ueritatem, & ad definiendam iure  
ac æquitate controuersiam adhibetur.

Grauiter Innocentius Romanus Pontifex in c. Ad no-  
stram. de iure iur. Vnde uidebitur subtiliter intuenti,  
de ordine iudiciorum procedere, ut in præmissis  
non per omnia ordo iudicarius obseruetur. Ecce,  
in negotijs aliquando celeritatem desiderantibus, idipsum  
utilis est ordo, quod ordo consuetus non seruatur.

Ordo deniq; significat id, quod iuris autoritate regula-  
riter seu uniuersaliter obtinet. Vnde nuncupatur ordinari-  
um, & extraordinarium. l. seruum quoq;. §. fi. ff. de pro-  
curat. Audiri æquum est, & ordinarium admittere,  
dicit vlpianus pro eo quod est, Generale seu commune  
omnibus est, ut quis audiatur.

## F O R M U L A.

I. Ordinem scripturæ sequi oportet. Vel sic. Ordo  
scripturæ indicat ordinem uoluntatis. l. Generaliter dice-  
mus. §. quid ergo. ff. de fideicommissa. libertatibus. l. ij. ff. de  
uulga. & pupilla. substitutio. Prius autem sibi quis de-  
bet hæredem scribere, deinde filio substituere, &  
non conuertere ordinem scripturæ.

II. Ordinis necessarij conuersio, reddit actum nullum.  
l. prolatam. C. de senten. & interlocutio. om. iudic. Prola-  
tam à præside sententiam contra solitum iudicio-  
rum ordinem, autoritatem rei iudicatæ non ad-  
mittere, certum est.

III. Omnis tractatio requirit ordinem, sine quo mera  
ingeritur obscuritas. vlpianus in l. j. ff. si tabul. testam. null.  
extab. Postea quam prætor locutus est de bono-  
rum possessione eius, qui testatus est; transitum

fecit ad intestatos, eundem ordinem secutus, quem  
& lex duodecim tabularum secuta est. Fuit enim  
ordinarium, ante de iudicij testantium, sic deinde  
successione ab intestato loqui.

## I N F R A C T I O.

I. Vbi uel ex autoritate legis, uel ex permisso homini  
nis arbitrio satis constat, quid quomodo sit agendum: ibi  
non procedit ista argumentatio. Paulus, ff. de solutionib.  
Nec enim ordo scripturæ spectatur: sed potius ex  
sure sumitur id, quod agi uidetur.

Vlpianus, l. ij. §. prius autem. ff. de uulg. & pup. subst. Ut  
nō ordo scripturæ, sed ordo successionis spectetur.

Tali modo Iustinianus sustulit præposteri seu inordi-  
nati repræhensionem in l. præposteri. C. de testam. Quod  
adparet ex l. præcedente. Dum dicit: Per eam occasio-  
nem testatoris uoluntatem subuertere. Ergo intelli-  
gi uult imperator de uoluntate testatoris liquida.

Idem, Instit. de lega. §. ante hæredis. Sed quia inciuite  
esse putauimus: scripturæ ordinem quidem sequi  
(quod & ipsi antiquitati uituperandum fuerat ui-  
sum) sperni autem testatoris uoluntatem.

II. Inter eos qui iure sunt æquales, non tenet ista ra-  
tiocinatio. l. si finita. §. si plures. ff. de dam in se. Nam non  
spectabimus ordinem, sed habebunt ambo posses-  
sionem.

III. Cum ordo non tam ex necessitate, quam ex urba-  
nitate introductus est, tunc fragilis est huiusmodi argumen-  
tatio. Vnde etiam figura prodijt, Histerologia, seu histeron  
proteron, hoc est, ordo conuersus: cum duabus propositis  
questiōibus, prius respondetur ad secundam, quam ad  
primam. l. ij. §. Labeo. ff. de incend. rui. naufrag.

A' S V B

## A' SVBIECTA MATERIA.

**P**Opulariter hic subiectam materiam appellamus rem cum circumstantijs suis , circa quam instituitur quælibet tractatio . Vnde in tota iuris disciplina , generalissime distinguuntur subiecta materia , in personas , in res , & in actiones . Omne enim ius quo utimur , uel ad personas pertinet , uel ad res , uel ad actiones . ait Paulus , ff. de stat.homi . Hunc locum insinuant iuris consulti , quoties dicunt , facti uel uoluntatis questionem esse . l. iij. ff. de aur. argen. mund. l. cogi poterit , in prin. l. ex facto . § si quis cauerit . ff. ad Senatusc. Treb. Et Alfenus in l. si plagis . §. in cliuio . ff. ad leg. aquil. Respondi , in causa ius esse positum .

Factum enim est materia , & exigitur ad normam iuris , an sit licitum uel illicitum .

### F O R M U L A .

Significatio uerborum , commodanda est ad subiectam negotij materiam . Vel sic : T alia sunt prædicata , qualia demonstrant subiecta . Ut Bartolus dicit in l. stipulatio ista habere . §. hi qui sunt . ff. de uerb. oblig . Hoc est , Tales prædicationes seu significations uerborū accipiendæ sunt : quales demonstrant seu exigunt res subiectæ tractationi quæ instituitur . vt ecce : Stipulatio Habere Licere & inter homines liberos est iuris , quoniam tunc committitur , cùm iure seu per iudicium sit controuersia , ut habere non liceat . Si tamen seruus olim , aut filius familiæ stipularentur Habere Licere & factum designabant huiusmodi uerba : Scilicet , ne quis auferret possessionem rei traditæ . Nam talis cautio non poterat alio modo ad seruum uel filium familiæ commodari . l. stipulatio ista . ff. de uerb. oblig .

Eodem modo , cùm homo sui iuris stipularetur Possidere licere & intelligebatur possessio etiam ciuilis : In per-

Sona uero alieno iuri subiecta naturalis tantum possessio accipiebatur. d.l. stipulatio ista. §. hæc quoq; stip.

Vlpianus, l. imperator. ff. de in diem addict. Vbi refe-rens Seueri rescriptū, de fructibus perceptis, & necessariō erogatis, ultro citroq; restituendis. Et credo sensisse principem de empti & uenditi actione.

Huic loco opponitur adagium, Extra oleas ferri. Extra cantionem agi dici'uc, Hoc est, Quod à re proposita sit alienius. Sumptum à cantoribus, qui uocem ad lyram male accommodant.

### A B E X T R E M I S.

**E**xtrēma cuiuslibet rei sunt primum & ultimum, seu initium & finis: ultra quae nihil considerari potest ad eam pertinere. Vlpianus, l.j. §. j. ff. si quis ius dicent. non obtemp. Is uidetur ius dicenti non obtemperasse, qui quod extremum est in iurisdictione non fecit.

Extremum autē in iurisdictione est decernere ac iubere.

### F O R M U L A.

I. Probatis extremis, id quod medium est, censetur simul etiam probari. Ut, si probauero initium possessionis, puta, rem mihi fuisse traditam anno M. D. X V I I. mense Ianuario. Itē, quod eandem rē possederim anno M. D. L V I I. mense Decembri: censemur probata possessio mediij temporis continuata: quoniam necessariō præsumitur inter extrema. l. Pomponius. §. sed & legatario. ff. de adqui. posse. l. Celsus, ff. de usucaptionib. l. non solum. §. sed ut probari. ff. de noui operis nunti. t.

II. Medium sapit naturam extremitum. l. si uero. §. interdum. ff. de his qui deie. Quod si ex mediano coenaculi quid deiectum sit: uerius est, omnes teneri.

III. Extremum utrinque uitiosum facit, ut medium quod

quoddam eligatur pro temperamento. Velsic: Medium tenere inter duo extrema iniqua, optimum est. Instit. Quib. ex caus. manumit. non lic. §. cùm ergo certus. Et, de rer. diuisio. §. cùm ex aliena. Et post multam Sabinianorum & Proculianorum ambiguitatem, placuit media sententia existimantium &c.

Antoninus Imperator optimus in l. solet etiam ff. de offic. Procon. & leg. Nam ualde inhumanum est à nemine accipere : sed paſsim, uiliſſimum. Quid igitur erit? Medium probat, hoc est, ut xenia tantum bona fide accipientur. Vlpianus, l. si quis forte, in prin. ff. de poenis. Nonnulli neq; ſemper, neq; nunquam remittunt: ſed inquirunt quid ſit, quod allegare principi uelint, quidq; pro ſalute iplius habeant dicere: poft quod, aut ſuſtinent poenā, aut non ſuſtinent. Quod uidetur habere mediam rationem. Paulus in l. anti- qui. ff. ſi pars hæred. pet. Prudentiſſimi iuris autores medietatem quandam ſecuti ſunt.

## I N F R A C T I O.

Cum in altero extremorum maior est iuris ratio, in altero minor: tunc ad medium non proceditur. l. Nesennius, in fin. ff. Nego. geſt. Illud nequaquam admittendum Puto, ut de utroq; patrimonio erogata uideantur.

## A B E X E M P L I S.

E Xemplum eſt, quod ſequamur, aut uitemus. Vnde Leges adducunt ſepe rationem hanc uelut grauiſſimam: quia pertineat ad exemplū. l. iij. §. j. ff. de alim. uel cib. leg. Vel, quia, exemplo opus ſit. l. aut facta. §. fin. ff. de poen.

Paulus, l. ſi quis aliquid §. qui abortionis. ff. de poenis. Quia mali exempli res eſt. Imperator item, exemplo

dicit pernitiosum esse, ut priuatae paſſim scripture credantur. C.de probat.

## F O R M U L A.

I. Exempla admodum honesta, & Reipublicæ utilia imitari debemus, quo ad eius fieri potest. l.j. §. Secundo loco. ff. de postulan. Extat quidem exemplum eius qui gessit. Appius deniq; Claudio cæcus consilijs publicis intererat, & in Senatu seuerissimam dixit sententiam de Pyrrhi captiuis. Sed melius est, ut retinere quidem dicamus iam acceptum Magistratum posse: adspirare autem ad nouum penitus prohiberi: idq; multis comprobatur exemplis.

Iustinianus, l.cùm quædam. C.de administr.tut. Quare tam optimo exemplo argumentati: nec non & alijs omnibus causis, in quibus ueretur tutor uel curator, ne præiudicium aliquod ei fiat, timorem eius remouemus.

II. Admoniti exemplis, evitare debemus ea, quæ publicè aut priuatim pernitosia sunt. Vel sic: Alienæ pericula nos facere debent cautiores. l.j. §. Secundo loco. ff. de postulan. Origo uero introducta est à Calpurnia improbissima fœmina: quæ inuercundè postulans, & magistratum inquietans, causam dedit edicto.

Macedo item famosus iuuentutis corruptor & usurarius, occasionem dedit Senatus consulto Macedoniano. l.j. ff. de senatusc.maced.

Lucius Papyrius insolens creditor, & libidinosus: cum iuuenem forma præclarum, ob debita paterna sibi nexum, uerberibus lacerasset, propterea quod pudicitiam ei prostertere nollet. lege Petilia decretum fuit, ne corpus debitoris sed bona essent creditæ pecuniæ obnoxia.

## INFRAC TIO.

I. Exemplis non est paſſim utendum in definiendis causis : sed magno ſunt admittenda iudicio. Ut, ij. q. iiij. c. monomachiam. Item, xij. q. ij. c. multi ædificat. & xx. q. ij. c. ſi quis per uetus. Vide, xxvij. q. iiij. c. non statim. & c. non exemplo. de consecrat. diſtin. ij. c. liquido adparet.

II. Cauendum eſt, ne exempla temporibus, uel negotijs non conuenientia, degenerent in consuetudinem prauam. Hoc enim peculiare uirus habent exempla: quod plerumq; tyrannum illum introducunt morem. Instit. de donat. §. fi. l. exemplo. C. de probat. Iustinianus, in l. nemo iudex. C. de ſenten. & interloc. om. iud. Non enim ſi quid non bene dirimatur, hoc & in aliorum iudicium uitium extendi oportet: cum non exemplis, ſed legibus iudicandum ſit.

Proculus, in l. ſed licet. ff. de offic. præfid. Non tam ſpectandum eſt, quid Romæ factum eſt, quam quod fieri debeat.

Paulus, l. pen. ff. de iuſtit. & iure. Prætor quoque ius reddere dicitur, etiam cum iniuste decernit, relatione facta non ad id, quod prætor ita fecit: ſed ad illud, quod prætorem facere conuenit.

Varietas igitur negotiorum, que plura ſunt quam uocabula, non ſemper admittit imitationem exemplorum. In natura enim. ff. de præscript. uerb. & conſequenter periculum eſt, uti reſponsis interpretum, que in cauſis ſuo ſeculo accidentibus ædiderunt: uulgo nūcupantur Cōſilia.

## A' COMPARATIONE.

Magnum probandi iuris adminiculum præbet comparatio ſeu collatio rerum & negotiorum: ut porro

ab unius definitione procedas ad aliam. Siquidē superius semel atq; iterum dictum est, & iurisconsulti diligēter nos admonent, impossibile fuisse, ut omnia negotia singulis definirentur sanctionibus: sed oportet ad similia procedere. I. non possunt. & l. seq. ff. de legib. Fit itaq; comparatio rerū & negotiorum inter se trifariam. Aut enim maiora conferuntur cum minoribus: aut minora cum maioribus, aut deniq; similia cū similibus: in aliqua uidelicet circumstantia, seu qualitate. Nam inter quæ nihil prorsus refert, ea nō ad hunc locum, sed ad definitionis tractationem pertinent. Siquidē longa est differentia inter res quæ secundum definitionem cēsentur eadem, & res quæ comparari possunt.

Vlpianus, l. si non sortem. §. libertus cū se putaret. ff. de condit. indeb. Et Celsus libro decimo digestorum putat, eam esse causam operarum, ut nō sint eadē, necq; eiusdem hominis, neque eidem exhibeantur. Quænam censeantur eadem, utilem habes definitionem Pauli & Vlpiani. l. cūm quæritur. & l. seq. ff. de except. rei. iudic. Inspiciendum est, an idem corpus sit, quantitasq; eadem, & idem ius: & an eadem causa petendi, & eadem conditio personarum. Quæ omnia nisi concurrunt, alia res est.

Aristoteles eruditē definit: similitudinem esse unitatem qualitatum. Nam eadem substantia facit easdem res. Vlpianus, l. qui liberis, in prin. ff. de uulg. & pupil. substit. Cui similis est hæc substitutio. Subiungit rationem similitudinis. Habet enim in se eandem conditionem.

Non inconcinne Ioannes Andreæ in c. non potest. de præbend. lib. vj. scribit: similitudinem esse rerum inter se differentium comparisonem. Vlpianus, l. recusare autem. §. fi. ff. ad senatuscons. Trebell. Similemq; esse ei, qui in

**In diem rogatus est restituere.** Facit enim comparationem inter eum, qui certo loco: & illum, qui in diem rogatus est, hæreditatem restituere.

Hæc propterea præfari oportuit. Nam pleriq; comparationes, adductis quibusdam circumstantiarum diversitatibus extra propositam speciem, impugnare tentant. Alij tam ineptis utuntur comparationibus, ut nulla prorsus ratione ad propositam controversiam accommodari possint. Quo magis igitur utrorumq; erroribus occurratur, omnes comparationis species per multa quotidianarum rerum exempla tractabimus singulatim.

## A' MAIORI.

**Q**uoties uerbis plane negatiuis, aut negatiuum sensum habetibus remouetur aliquid maius: profectò consequens est optimum, remoueri etiam minus in iure.

## F O R M U L A.

Si id quod magis de aliquo prædicandum esse uidetur, non recte potest prædicari: Ergo nec illud, quod minus. Sic enim uulgo colligunt. Aut craſius hoc modo: Cui non licet id, quod utiq; magis uidetur permittendum: ei certè minime licebit illud, quod extra controversiam minus licet. Terent. in Phorm. Cum hoc non possem, illud minus possem. Si parentibus non est permisum ius patriæ potestatis dissoluere inuitis filijs: certe non possunt inuitum & nolentem filium in ius patriæ potestatis redigere. Nouell. de natur. lib. 9. in uniuersum. Conſtit. lxxxix. Cum matri nuptias iteranti non concedatur reuocatio donationis filio factæ: certè pudicitiam abijcens mater & meretriceam agens uitam, multò minus reuocabit. l. his folijs. C. de reuocand. donat.

Iustin

*Iustinianus, in l.f. C. de decurionib.* Ut ne quod summis apicibus dignitatum non est concessum, hoc alij sibi audeant vindicare.

*Si Moysi olim non permittebatur, ut suo tantum iudicio & arbitratu eligeret populi principem: quis nunc erit, qui se audeat idoneum ad hoc iudicare?* viij. q.j.c. si ergo tantus ille. *Si Paulus uas electionis sensit temptationem carnis, & post tot carceres & flagella, corpus suum detestatus est.* Roman. vij. *Quis se putabit à temptatione securum fore?* xxxij. quæst. v.c. si Paulus. *Vtrobique Hieronymus.* Insigne exemplum est. xj. q.j.c. magnum quidem. *Si enim (inquit Ambrosius) censum FILIVS DEI soluit: quis tu tantus es, qui putas esse non soluendum & Matthæi xvij.*

### A MINORI.

**D**icitur recte argumentatio ab eo, in quo minor est ratio, ad id, quod maiorem multò habet rationem adfirmando.

#### F O R M U L A.

*Si id quod minus de aliquo prædicari uidetur, potest rectè prædicari. Ergo etiam illud, quod magis de eode prædicandum censetur, iure debebit prædicari uel adseri.*

*Vlpianus, ff. de reg.iuris.* Non debet, cui quod plus est licet, quod minus est non licere. Verborum facies in aucto suadet argumentum esse à maiori: cum tamen sit à minori. Hoc est, quædam inductio ab eo, quod minus creditur, ad id, quod magis uidetur credibile.

*Si donationes ab ingrato licet reuocare pecuniarias: quod minus fieri posse uidetur. Licebit etiam ingratum libertum reuocare in seruitutem: quod magis iustū uidetur.*

Nouell.

Nouel. ut libert. de cæt. §. exhibēto præterea. Cōst. lxxvij.  
 Miles relinquens seruo suo legatum, uidetur ei & libertatem relinquere. Ergo si quis cum ancilla matrimonii contrahat, cēsebitur etiam liberos ex ea procreatos uelle frui libertate. Ibidem. §. unde & si cui ex muliere. Matth. xij.  
Quis erit (inquit) ex uobis homo, qui habebit ouem unā,  
 & si inciderit sabbatis in foucam, nonne apprehendit illā  
 & eriget? Quanto igitur præstantior est homo oue? l.ij.  
 ff. de fer. l. de accessionibus. ff. de diuers. tempor. præscript.  
 Nam qui me potior est, cūm ego te superaturus sim: multo magis aduersus te obtinere debet.

Vlpianus, in l. sed & si. §. & ideo. ff. ad legem Aquil.  
 Et Julianus scribit: Aquilia teneri eum, qui eluscavit discipulum in disciplina. Multo magis igitur in occiso idem erit dicendum.

Iulianus, in l. qui scit fundū. §. in alieno fundo. ff. de usur.  
 Præterea cūm ad fructuarium pertineant fructus à quolibet sati: quanto magis hoc in bonæfidei possessori recipiendum est, qui plus iuris in percipiendis fructibus habet? Vlpianus, ff. de pignor. act.  
 Non est mirum, si ex quacunq; causa magistratus in possessionem aliquem miserit, pignus constituit: cūm testamento quoq; pignus constitui posse, Imperator noster cum patre sæpiissime rescripsiterit.

Idem, l. sed & si ideo. ff. sol. mat. Et multò magis idem dicendum est, si socer agat de dote.

## A SIMILI, VEL PARI.

**S**imilitudo propriè est qualitatis, paritas autem quantitatis. Attamen promiscuè accipiuntur. Vnde etiam parrem rationem dicimus.

Et quandoquidem non possunt omnes articuli humnorum

norum negotiorum singulatim legibus cōprehendi: oportet ex ijs, quæ definita sunt, procedere ad definitionem similiū casuum, qui quotidie incident. l. neque leges. l. non possunt. & l. seq. ff. de legib. Quod suprà dixi. Omnis autem similitudo trifariām colligitur. Aliás ex una re ad unam rem. Ut, si ab ædibus mutatis, quarum ususfructus extinguitur, colligamus etiam areæ mutationem extinguere usumfructum. l. repeti. §. rei mutatione. & §. si areæ. ff. quib. mod. ususfr. amit. Exempla uidebis inferius multa. Aliás, ex una re, ad plures. Ut, si à nuntiatione noui operis priuata, argumenteris ad omnia pacta rei familiaris. l. iurisgentium. §. si paciscar. ff. de pact. Et in cæteris igitur omnibus, ad edictum prætoris pertinentibus, quæ non ad publicam læsionem, sed ad rem familiarem respiciunt, pacisci licet.

Aliás deniq; ex pluribus rebus, ad unam dicitur similitudo. Ut, si tutor fidem præstare debet, si socius, si administrator alienarum rerum: certè procurator etiam præstare tenetur. l. ignorantis. l. pen. & l. ulti. ff. de procur.

## F O R M U L A.

I. In quibus est eadem ratio similitudinis, eorum debet idem ius existimari. d.l. neque leges. & l. non possunt. l. à Tito. ff. de uerb. oblig. Cur non idem & in dote promissa respondeatur, ratio reddi non potest. l. si postulauerit. §. ratio autem ff. ad legem Iul. de adult. l. j. C. quæ sit long. consuetud. Huc pertinet materia interpretationis, quam Extensionem uocant commentatores: ad quam significandam utuntur uerbis, Facit ad hoc, uel, Argumentum est, & similibus.

II. Lex quæ simpliciter definit, porrigi potest ad similem casum, uel aliquo modo dissimilem, in quo tamen est eadem

eadem ratio. Sic ordinatio politica dotis exigēdē aduersus maritum ad inopiam uergentem, stante matrimonio : porrigitur ad extraneum, qui accepit dotē. Ut tradunt omnes secundum Bartol. in l. si constante. in prin. ff. solut. matrim.

III. Legis extensio, quæ distinguit uel declarat eam, facile admittitur : ut in exemplo prædicto uidere licet. Nam quod extraneus ad inopiam tendens, qui dotem accepit, & que teneatur ac maritus ipse : id non solum extendit, sed etiam declarat ius dotale. d.l. si constante: scilicet, quomodo possit omnibus modis dos conseruari mulieribus.

IV. Quoties extensio legis probatur per aliam legem : toties cur non porrigitur ad aliam facti speciem? etiam ubi sunt dictiones taxatiuæ. Tantum, Solummodo, Duntaxat, uel similes? Nunquam enim legislatores sic uolunt taxari suas ordinationes uerborum angustia, ut pugnent cum alijs similibus. l. serui. ff. de usucap. l. ob æs. C. de præd. min. l. contractus, in princ. ff. de reg. iur.

V. In causis fauorabilibus quoq; dictiones taxatiuæ nihil obstant, quo minus lex porrigitur ad similem casum, ut tractatur in l. illud. C. de sacrof. eccles. Quinimo, saepe inter res separatisimas fit comparatio alicuius articuli iuris. l. & non tantum. §. ueniunt. ff. de pet. hæred. ubi bona fidei possessor, & prædo comparantur.

## INFRAC T I O.

I. Quoties monstrari potest diuersitas inter ea quæ comparantur : toties cleuatur hec argumentatio. Et propterea magni est iudicij, ueram similitudinem in tanta negotiorum uarietate mctiri. Circumspiciendum enim diligenter, num diftent Genere, Natura, vi, Magnitudine, Loco, Tempore, Persona, Opinione, aut alijs rerum circumstantijs. l.ij. C. de cond. insert. Nec exemplū legati uel

uel hæreditatis, in quibus conditio diuortij non nunquam remitti solet, huic rei comparandum est. Eam autem deliberationem in hoc argumentandi genere, ut discernatur sanguis à sanguine, causa à causa, & lepra à lepra, diligenter inculcant diuinæ ac humanæ traditiones. Ne dissimilia pro similibus amplectamur. Deut. xvij. &c. per uenerabilem. qui filij sint legit.

Non est igitur mirum, quod magni olim Iuris consulti in colligenda similitudine errarint. Vnde Paulus reiicit comparationem Pedij. l. inter stipulantem. §. sacram. ff. de uerb. oblig. Sed haec dissimilia sunt. Et Iuliani. l. Iulianus scribit. ff. de iur. dot. Quod non esse simile, accepti. Aliud est enim differre exactionem, aliud ab initio in id tempus stipulari, quo matrimonium futurum non sit.

Idem Paulus reprobat collectionem Aristonis, à contractibus ad iudicia. d. l. inter stipulantem. §. si Stichum.

Africanus, in l. cùm postulassem. §. danni infecti. ff. de damn. infect. Cur ergo non emptori quoque id tribuendum est: si forte quis insulam ignoratam emerit: non rectè haec inter se comparabuntur.

Paulus, l. senatus censuit. §. fin. ff. de mort. caus. donat. Sed qui mortis causa in annos singulos pecuniam stipulatus est: non est similis ei, cui in annos singulos legatum est. Nam licet multa legata essent, stipulatio tamen una est: & conditio eius, cui expromissum est, semel intuenda est.

Papinianus, in l. j. §. cùm prædium pignori. ff. de pigno. Quod in fructibus dissimile est.

Paulus, l. si pupillus. ff. de administr. tut. Is autem qui tempore liberatus est: non ei similis est, qui nihil habet,

habet, sed ei qui satisfecit. Habet enim quod obñciat petitori. Idem l. pen. ff. de excep. rei iud. Quia non ut in proprietatis quæstione, quod meum est, alterius, non est: ita & utiqꝫ consequens est, ut non sit alijs obligatum, quod hic comprobauit teneri.

O filius & Trebatius iuris consulti, de collecta similitudine, ab aure hominis, ad cyathum uel ligulam uini, ab Vlpiano reprehenduntur. I. uulgaris est quæstio, in princ. ff. de furt. Nam & qui aurem alicuius tetigit (inquit Trebatius) totum uideri eum tetigisse. Proinde (inquit) qui dolium aperuit, & inde parum uini abstulit: non tantum eius, quod abstulit, uerum totius uidetur fur esse. Sed uerum est, in tantum eos furti actione teneri, quantum abstulerunt.

II. Vbi similitudo colligitur à qualitate nimis effusa ibi parum urget hoc argumentum. Ut, si à qualitate brutorum animalium seu instinctu naturali, passim argumenteris ad hominem: aut si ab effectu naturali humano, argumenteris ad aliquam definitionem iuris.

III. Cùm per extensionem legis introducitur effectus mutandi iuris, quod alia lege certò constitutum est: tunc non procedit comparatio, sed intra uerborum limites manet. l. præcipimus, in fi. C. de appellat. Quidquid autem hac lege specialiter non uidetur expressum: id ueterum legum constitutionumqꝫ regulis omnes relictum intelligent.

IV. Lex prohibens nominatim extensionem, non est torquenda ad alios casus. Inslt. de iur. nat. gent. & ciuil. §. sed & quod princ. Quoniam non hoc princeps uult.

V. Lex quæ uerbis utitur taxatiuis, non sine maxima & euidenti ratione ad alios porrigitur casus, quam de qui-

*bus loquitur. l. ij. C. de patrib. qui fil. suos distrax.*

V I. Vbi lex punit, aut aliud quipiam prædurius statuit aduersus humanam temeritatem : ibi strictissimè accipienda est. d. l. ij.

V II. Nulla lex adeò est extendenda , ut sequatur absurdæ generalitas. Et hoc Triphoninus longum appellat: sic enim dicit: Vereorne longum sit adoptionem mariti eius impedire. Et inferius: Alioquin omnis debitor eam,cui obligatus esset ex aliqua ratione, prohiberetur sibi filioꝝ suo coniungere.

V III. Nonnunquam uero partim procedit comparatio similium, partim non procedit. l. liber homo qui, in prin. ff. de uerb. oblig. Hoc itaq; latere fructuario seruo uel alieno , qui bona fide seruit, comparabitur. Quasi dicat : Ex alio latere, hoc est, si in alia specie comparationem facias, differunt tales serui. Neq; enim per omnia respondet similitudo diuersarū rerum in omnibus. Alioquin cædem potius essent, quam similes in iure. l. præfectus. ff. de rit. nup. Quæ species, pupillæ cōparanda est, cùm ratio potētatus nuptias prohibuerit. Et interim tamē quis ignorat dissimilitudines inter Præfectū, & Tutores?

## E X E M P L A

### S I M I L I V M.

A<sup>3</sup> IVDICE, AD ARBITRVM.



OMPR OMIS S V M, ad similitudinem iudiciorum redigitur, ait Paulus, l. j. ff. de recept. arbit. Ex qua similitudine, multa solent colligi, à iudice ad arbitrum.

I. Iudex debet ex scripto recitare sententiam. l. j. C. de senten.

## S I M I L I V M.

Sentent. ex breuic. recitan. Itidem debet arbiter.

II. Non oportet ullum iudicem contra ius uel utilitatem publicam pronuntiare. l. si expressim. ff. de appell. l. si se non obtulit. §. condemnatum. ff. de re iudic. l. j. §. fin. ff. ad Senatus con. Tertyll. Idem dicendum est de arbitro.

III. Iudex, nisi pronuntiatione sua finem controuerſiae imponat, non censetur rem iudicare. l. j. ff. dc re iudic. Eadem ratione nec arbiter. l. non distinguemus. §. Idem Pedius. ff. de recept. arbit.

III. Aduersus iniquam iudicis sententiam subuenitur laesis. l. j. ff. de appellat. Ita per exceptionem doli mali, quasi ſpecie quadam appellandi euitatur poena iniusti arbitrij. d. l. non distinguemus. §. cum quid. am. ff. de recept. arb.

V. Non oportet ex sententia cauſae alienae, prægrauari alium. l. Lucius Titius. ff. de his qui not. inf. Si nec ex arbitrio. C. res inter alios acta, uel iud. alijs ne noc.

V I. Iudici permittitur eadem die, qua sententiam dixit, ſupplere eam circa accessoriam. l. Paulus reſpondit. ff. de re iudicat. Idem licet arbitro, ut notatur in l. quia arbiter. ff. de recept. arb.

VII. Quemadmodum qui Romæ item contestatus est, mox Roman in legationē ueniat, non cogetur ibi exercere iudicium: Ita qui Romæ compromiſit. l. non distinguemus. §. item ſi quis. & §. seq. ff. eo. tit. Sed compromiſum comparauimus ordinariæ actioni, dicit Paulus.

## A' I V D I C I I S , A D V L T I M A M uoluntatem uel contra.

V Lpianus, l. iij. ff. de alimen. uel ciba. legat. Solent iudices ex cauſa alimentorum libertos diuidere, quoties plures ſunt hæredes; ne à ſingulis hæredi-

bus minutatim alimenta petentes distingantur.  
Quam deuisionem perinde tueri oportet , atq; si  
paterfamilias ipse libertos diuisisset.

Procedit autem hæc argumentationis formula negando,  
non adfirmando.l. qui testamento. ff. qui testamen. face. pos.  
Eum, qui lege repetundarum damnatus est, ad te-  
stamentum adhiberi non posse existimo: quoniam  
in iudicium testis esse uetatur.

### A V D I C I I S , A D contractus.

Iudicia plerunq; non immerito comparantur contracti-  
bus:quia in iudicio quasi cōtrahere dicimur.l.iiij. §.idem  
scribit. ff. de peculi. Nam sicut stipulatione contraha-  
tur cum filio: ita iudicio contrahi. Idem l. depositi no-  
mine. ff. eo. tit. Si filius familias iusurandum detule-  
rit,& iuratum sit: de peculio danda est actio, quasi  
contractum sit.

I. Quemadmodum iudicium de his, quæ postea in obli-  
gationem aduentur& sunt , esse non potest : quia obligatio  
debet actionem præcedere.l. non potest. ff. de iudi. Ita cum  
stipulamur, Quidquid te dare facere oportet. Id du-  
taxat accipitur , quod præsentि die debetur. l. si stipulatus  
fuerim. §.cūm stipulamur. ff. de uerb. oblig.

II. Contractus omnino incerti non ualent.l. triticum.  
& l. ita stipulatus sum te sisti. ff. de uerb. oblig. Sic nec iudi-  
cia.l. iiij. C. de sent. quæ sine cert. quant. profer. l. quid tamen.  
§. Pomponius ait. ff. de recept. arbi. Instit. de actionib. §. cu-  
rare autem.

### I N F R A C T I O.

I. Conuentiones priuatæ dependent ex arbitrio con-  
trahen-

trahentium. l.j. ff. de pact. At non iudicia. l.inter stipulanten. §. si Stichum. ff. de uerb. oblig. Nam stipulatio ex utriusq; consensu ualeat: iudicium autem etiam in iniuitum redditur.

II. Non quemadmodum fideiussoris obligatio in pendentí potest esse, uel in futurum concipi: ita iudicium in pendentí potest esse, uel de his rebus, quæ postea in obligationem aduenturę sunt. Nam neminem puto dubitaturum, quin fideiussor ante obligationem rei accipi possit: iudicium uero ante, quamdebeatur, non possit. Iabolenus, ff. de iudi.

#### A' SENTENTIA IVDICIS ad testamentum.

**S**icut libertatis datio impeditur per sententiam cum cause cognitione dictam: Ita per testatoris elogium. Paulus, ff. de manumiss. testa. Seruus hac lege uenditus, ne manumittatur, uel testamento prohibitus manumitti, uel à præfecto, uel à præside prohibitus ob aliquod delictum manumitti: ad libertatem perducī non poterit.

#### A' TRANSACTIONE, ad rem iudicatam.

**Q**uandoquidem non minorem autoritatē habet transactio, quam res iudicata: meritò procedit argumentatio ab altero ad alterum. l. non minorem. C. de transact.

#### AB APPELLATIONE IVDICIALI, ad dationem arbitri.

**V**lpianus, l. arbitrium familie erciscundæ. ff. famil. erciscun. Nam prouocare ad iudicem, uel unum

n 3 hæred

EXEMPLA

haeredem posse palam est. Igitur & præsentibus cæteris, & inuitis poterit uel unus arbitrum poscere.

A B O E C O N O M I A,  
ad iudicia.

V Lpianus, l. sed si unius. §. quod autem ait prætor. ff. de iniur. Ut in cognitione causæ hoc ueretur: quam longè pater absit, & quando superuenturus sit: & nunquid is, qui uult iniuriarum actionem mouere, segnior uel inutilis admodum sit, qui non sufficiat ad rei alicuius administrationem, ac per hoc nec ad actionem.

A' T R A C T A T I O N E C A V S A R V M  
forensium, ad docendi functionem.

C aius, l. j. ff. de orig. iuris. Deinde si in foro causas dicentibus nefas (ut ita dixerim) uidetur esse, nulla præfatione facta, iudici rem exponere: quanto magis interpretationem promittentibus in conueniens erit, omissis initij, atq; origine non repetita, atq; illotis (ut ita dixerim) manibus, protinus materiam interpretationis tractare.

A B A R M A T A M I L I T I A A D  
cœlestem & togatam militiam.

T riplicem militiam interpres iuris adserunt: uidelicet, Armamatam, quam tribuunt pro patria pugnantiibus: Cœlestem, clericis adscribunt, quod aduersus errores religionem tuentur: Togatam, aduocatis adsignant: Militant enim (inquit Imperatores) causarū patroni, qui gloriosæ uocis confisi munimine, laborantium spem, uitam & posteros defendunt. Hinc duci solet argumentum, quod omnia militum armatorum, priuilegia, competant etiam

etiam cœlestibus, & togatis militibus.

A' C O N T R A C T I B V S , A D V L -  
tîmam uoluntatem : uel contrâ.

V Lpianus, l. successori eius ff. negot. gestor. Sicut au-  
tem in negotijs uiuorum gestis, sufficit nego-  
tium utiliter cœptum : Ita & in bonis mortuorū,  
licet diuersus exitus sit secutus.

Paulus, l. seruum filij. ff. de legat. j. Eum, qui chirogra-  
phum legat, debitum legare, non solum tabulas:  
argumento est uenditio.

Iustinianus Institut. de lege fusi. cani. tol. Cum satis fue-  
rat inhumanum, uiuos quidem licentiam habere  
totam suam familiam libertate donare, ( nisi alia  
causa impediat libertatem) morientibus autem hu-  
iusmodi libertatem adimere.

Pomponius, l. à duobus. ff. de oper. libert. Nam etiam  
præteritarum operarum actionem dare hæredi  
extraneo sine metu exceptionis placet. Dabitur  
igitur & uiuo altero patrono.

Iulianus, l. qui chirographum. ff. de legat. iij. Appella-  
tione enim chirographi, uti nos pro ipsis actioni-  
bus, palam est : cum uenditis chirographis intelli-  
gamus nomen uenisse.

## I N F R A C T I O.

Sæpe diuersa ratio impedit hanc argumentationem.  
Pomponius, l. si Stichum, ff. de uerb. oblig. Stipulatio hu-  
iusmodi IN SINGVLOS ANNOS una est, &  
incerta, & perpetua : non autem quemadmodum  
simile legatum morte legatarij finitur. Sunt autem  
multæ differentiæ inter contractus, & ultimam uoluntatē.

I. Contractus In singulos annos, unus est & perpetuus, ut iam dictum est. Legatum uero sic factum, plura legata censentur. I. cum in annos singulos legatur. ff. quando dies leg. cedit.

II. In ultimis uoluntatibus latior fit interpretatio, quam in contractibus. I. in testamentis. ff. de reg. iuris.

III. In ultimis uoluntatibus masculinū complectitur fœmininum: non autem in contractibus. I. qui duos multos. ff. de legat. iij. Quia mutorum appellatione etiam mutæ, quemadmodum appellatione seruorum & seruæ, plerunque continerentur. Id autem eō uenit, quod semper sexus masculinus fœmininum continet. Quod non est ex contrario accipiendum, ut filiarum nomine etiam masculi continantur. Exemplo enim pessimum est, fœminino uocabulo, etiam masculos contineri, dicit Pomponius in l. si ita scriptum sit, in princ. ff. de legat. ij.

IV. In ultimis uoluntatibus, appellatione filiorum accipiuntur nepotes: in contractibus non æquè. I. liborum ff. de uerb. signifi.

V. In causa testamentaria monasterium habetur loco filij. Nouell. De ecclesi. diuers. capit. §. si quis sub conditione. Constit. cxxij. Non autem in contractibus.

VI. In ultimis uoluntatibus concessu uno, censetur simul & aliud concedi, quod ad explicationem eius necessarium est. I. illud dubitari. & I. pro hærede. §. Papinianus scribit. ff. de adquir. hæred. Quia ex defuncti uoluntate accipitur, quod conditionis implendæ causa datur. In contractibus diuersum est.

VII. Cum quid in diem, uel sub conditione debetur ex ultima uoluntate relictum, semper peti potest cautio. I. j. in prin.

in princip. Et §.j. ff. ut legat. seu fideicom. caus. caueat. Ex contractibus uero perfectis no recte postulatur cautionis noua superueniat suspicio in debitore. l. Si creditores. ff. de priuileg. cred. l. in omnibus. ff. de iudi. Dum dicit: Ex iusta causa.

VIII. Testamentum habet executionem paratam. l. fin. C. de edict. diui Adria. tollend. Nouell. de hæredib. & falci. §. illud quoq; prospeximus Constit. j. At in contractibus, non sic est. l. minor uiginti quinq; annis cui fideicommissum. ff. de minorib. Quia paratam ex iudicati causa persecutionem, nouo contractu ad initium alterius petitionis redegerat.

### A<sup>1</sup> C O N T R A C T V , A D quasi contractum.

Vlpianus, l. Item si cum putau. §. sed si quis ita sim-  
pliciter. ff. negotio. gestor. Argumentatur à manda-  
to, ad negotium gestum.

### A<sup>1</sup> C O N T R A C T I B V S , A D delicta: uel ex diuerso.

Qvantum ad obligationem pertinet, contractus æqui-  
parantur delictis. Paul. ff. de iudici. Omnem  
obligationem pro contractu habendam, existi-  
mandum est: ut ubicunque aliquis obligetur, &  
contrahiri uideatur, quamvis non ex causa crediti  
debeatuerit.

Sicut contrahendo sortitur aliquis forum, ita etiam de-  
linquendo. l. hæres absens. ff. de iudi. Quemadmodum iu-  
dex definiendo litem, debet sequi consuetudinem eius loci,  
in quo contractum est. l. si fundus. ff. de euictio. Ita in deli-  
ctis inspiciet poenam loci consuetam, quamvis à iure com-

muni recedat. Ut ciuitas interdum ex delicto obligatur, sic etiam ex contractu. I. metum autem præsentem. §. Animad uertendum. ff. quod met. caus.

### A<sup>3</sup> PERSONA AD LOCVM.

**V**Lpianus, l. i. ff. ne quis eum qui in ius. Ofilius putat, locum huic edicto non esse, si persona, quæ in ius uocari non potuit, exempta est: ueluti patrens, patronus. Et. l. ij. Eadem æquitas est in eo, qui alio quam quo debuerat, in ius uocabatur.

### A<sup>3</sup> PERSONA AD RES: uel contra.

**V**Lpianus, l. si quis filio exhaeredato. §. quatenus. ff. de iniust. rupt. & irrit. test. Ergo & si quis damnatus capite, in integrum indulgentia principis sit restitutus, testamentum eius conualescet. Martianus, l. si quis inquilinos. ff. de lega. j. Si ita legatum fuerit: Titio cum Seio do, lego: utrisq; legatum est. Sicut utruncq; legatum est, cùm fundus cum domo legatus est.

### I N F R A C T I O.

Cùm de mutatione uel emendatione legis tractatur, non obtinet uim hæc argumentatio. l. cùm quidam. §. fina. C. de uerb. signific. Neq; enim sequitur: Emendatae sunt ueterum leges, ut coniunctio aut accipiatur pro Et, inter personas. Ergo etiam inter res.

### A<sup>3</sup> PERSONA AD TEMPVS.

**P**Aulus, ff. de uulga. & pupilla. substitu. Qui plures liberos haber, potest quibusdam substituere: neque

neque utique necesse habet omnibus: sicuti potest nulli substituere. Ergo & ad breue tempus ætatis substituere potest. Nihil moror, quod uideantur persona & tempus separata esse, ex quibus non inferatur quidquam. Nam in ea specie quatenus ad collationem boni & æqui pertinet, non censemur separata. I. solet etiam. §. nō uero. ff. de offi. procon. l. nonnunquam autē. ff. de iudi.

## A' RE, AD TEMPVS.

**T**Riphoninus, l. Miles ita hæredem, in princi. ff. de milita. testamen. Et quod in honorum portione ei licet, hoc etiam in temporis spatio (licet non modicum sit) ex eodem priuilegio competit.

Vtitur hoc argumento Dynus teste Bart. in l. si constante, in princ. ff. solut. matri. Sicut enim Socer & que ac maritus tenetur de quantitate dotis. l. rei iudicatæ. §. fin. ff. eod. titu. Ita conueniens est, ut tempore inopie non minus conueniat, quam maritus.

## A' TEMPORE AD LOCVM.

**C**Aius, l. fi. ff. de cond. triticiar. Tanti litem æstimandam, Cassius ait, quāti suisset eo die, quod dari debuit. Si de die nihil conuenit, quanti tunc cū iudicium acciperetur. Idemq; iuris in loco esse, ut primum æstimatione sumatur eius loci, quo debuit dari. Si de loco nihil conuenit, is locus spectaretur, quo peteretur. Quod & de cæteris rebus iuris est.

Eodem fere modo argumentatur Julianus, in l. uinum quod. ff. si cert. petat.

Pomponius, l. ratio possessionis. ff. de action. empt. Si per uenditorem uini mora fuerit, quo minus traduceret,

deret, condemnari eum oportet, utro tempore pluris uinum fuerit: uel quo uenit, uel quo lis in condemnatione deducitur. Item, quo loco pluris fuit: uel quo uenit, uel ubi agitur.

A F E V D O, A D  
Emphyteusim.

I. Sicut beneficiarius, post traditionem possessionis, adquirit dominium utile: ita & Emphyteuta. Tit. De inuest. de re alie fact. iunct. l. j. ff. si ager uectig. uel emphyt.

**Q**uemadmodum uassallus inuito domino beneficium suum non potest alienare. Tit. de capita. qui curi. uendi. Ita nec emphyteuta.

Vt dominus tenetur beneficium ad se reuersum filio defuncti uassalli præ alijs concedere, argu. l. j. §. permittitur autem aquam. ff. de aqua quotid. & aestiu. Quod datur personis, cum personis amittitur. Ideoç neç ad alium dominum prædiorum, neque ad hæredem, uel qualemcumq; successorem transit. Planè ei, ad quem dominium transit impenetrabile est. Nam si docuerit prædijs suis aquam debitam, & si nomine eius fluxisset, à quo dominium ad se transiit: indubitate impenetrat ius, aquæ ducendæ. Nec est hoc beneficium, sed iniuria, si quis forte non impenetraverit. Eodē modo dominus directus, præferre debet filii emphyteutæ defuncti. Ut notatur in l. j. in fi. ff. de priu. cre.

A B E M P H Y T E V S I,  
ad censum.

**Q**uemadmodum emphyteuticarius, nisi soluat annum censem, iure potest destitui: sic & censuarius. l. j. C. de iure emphyteut.

Contr.

*Contractus censualis est: cùm quis ius dominij sui in re, directum uel utile, alienat prorsus in alium, pro certa pecunia: ut tamen ultra eam annui censu aliquid soluat. Quomodo item locari olim solebant prædia, ut appareat ex l. fruct. esse. & item si locatio ff. solu. matri.*

A B I N S T I T O R I A A C T I O -  
ne, ad negotiorum gestorum.

*P*Apianus, l. libero, in princ. ff. de negot. gest. Liber-  
to uel amico mandauit, ut pecuniam acciperet  
mutuam: cuius literas creditor secutus contraxit,  
& fideiussor interuenit. Etiam si pecunia non sit  
in rem uersa, tamen dabitur in eum negotiorum  
gestorum actio creditori uel fideiussori, scilicet ad  
exemplum institoriæ actionis.

A' P E T I T I O N E H A E R E D I -  
tatis ad rei uindicationem.

*P*Aulus, l. s. in autem. & si homo ff. de rei uindic. Cum  
enim in hæreditatis petitionem, quæ & ipsa in  
rem est, dolus præteritus fertur: non est absurdum,  
per consequentias, & in speciali in rem actio-  
ne dolum præteritum deduci.

A' C O M M O D A T O ,  
ad precarium.

*P*Recarium est, quod precibus petenti utendum conce-  
ditur tam diu, quam diu is, qui concessit, patitur. Quod  
genus liberalitatis ex iure gentium descendit, & distat à  
donatione, eo quod qui donat, sic dat, ne recipiat: qui pre-  
cario concedit, sic dat, quasi tunc recepturus, cùm sibi libue-  
rit

rit precarium soluere, ait Ulpianus, l. i. ff. de preca.

Habet autem magnam similitudinem cum commodato. Nam & commodatum ferè à precibus solet incipere, & solam utilitatem continet eius, cui commodatur. l. si ut certo. §. nunc uidendum. §. si me rogaueris. & §. si de me petisses. ff. commodat. Precarium utē sic fit, ut non faciat rem accipientis; sicut & commodatum. Nam utrobiq; tantum conceditur accipienti usus rei. d. l. j. in fi. Deniq; tam precarium, quām commodatum consistit in rebus mobilibus & immobilibus. l. j. ff. commodat. l. ij. in fin. l. iiij. & l. in rebus, in princip. ff. de precari. Merito igitur ab altero colligi potest argumentatio ad alterum.

## I N F R A C T I O.

Non est semper tuta hæc collectio, propter multas inter precarium & commodatum differentias.

I. Qui precario habet, naturaliter possidet rem. l. & habet. §. eum qui precario. ff. de preca. Commodatarius uero rei commodatæ possessionem non habet. l. rei commoda. ff. commodat.

II. Precarium ad concedentis arbitrium quandocūq; reuocari potest, quia ad incertum usum datur natura sui: etiam si usus uel tempus exprimatur. l. j. l. cum precario. l. & habet. in princi. ff. de preca. At commodatum intempestiue auferri non potest. l. in commodato. §. sicut autem. ff. commodat.

III. Precario rem accipiens, de dolo tantu& latiore culpa tenetur: nisi post litem contestatam fuerit in mora restituendi. l. quæsum est. §. eum quoque. & §. si seruitute. ff. de precar. Commodatarius autem de dolo & leuiore culpa obligatur. l. si ut certo. §. nunc uidendum. ff. commodat.

A' LEG

A<sup>1</sup> LEGATIS, AD  
fideicommissa.

**V**Lpianus, l. i. ff. de lega. j. Per omnia exæquata sunt legata fideicommissis. Quod sic intelligendum est: Legata particularia exæquata sunt fideicommissis particularibus: & uniuersalia legata fideicommissis uniuersalibus. Verum, inter legata particularia, & fideicommissa uniuersalia, multum refert. Primum enim hæres cogitur ad postulationem fideicommissarij uniuersalis adire hæreditatem: sed non petente legatario particulari. l. si quis omisſa. ff. si quis omisſ. caus. test. l. quia poterat. ff. ad Senatuscon. Trebell. Instit. de lege Falcid. §. quantitas. in fr. Deinde libertas legata dicitur directa: fideicommissaria uero obliqua. Instit. de singul. reb. per fideicom. relict. §. que autem. l. directis. C. de testam. manumis.

A<sup>1</sup> F A L C I D I A , A D  
Trebellianicam.

**F**Alcidia dicitur quarta, quam hæres legatis detrahit: Trebellianica, quam fideicommisso: ut in tit. Instit. de lege Falcid. Nonnunquam promiscue his uerbis utuntur. l. Marcellus, in princ. ff. ad senatusc. Trebell. l. iubemus. C. cod. tit. l. cohæredi. §. cum filiæ. ff. de uulg. & pupill. substit. l. Titia testamento. ff. ad leg. Falc.

Sicut igitur legatis ad pias causas non detrahitur falcidia. Nouell. de ecclesiast. canonib. §. si uero hæ res ea quæ. Constit. cxxxij. Ita nec trebellianica detrahetur fideicommisso ad pietatem relictio.

Quemadmodum item testator potest prohibere deductionem falcidie, sic & trebellianæ. Nouell. de hæredib. & falcid. §. hinc nos cura. Constit. j.

## E X E M P L A

A<sup>r</sup> BONORVM POSSESSIO-  
ne contra tabulas, ad Carbonianam  
bonorum possessionem.

**V**lpianus, l. j. ff. de Carbonia. edict. Et generaliter dicemus, his demum Carbonianum competere, quibus contra tabulas bonorum possessione competit: his uero non competere, qui repelluntur à contra tabulas bonorum possessione.

A<sup>r</sup> MORTIS CAVSA DO-  
natione, ad legatum.

**V**lpianus, l. j. §. j. ff. si quid in fraud. patr. Mortis enim causa donationes comparantur legatis: & sicut in legatis nō quærimus, dolo malo factum sit, an non sit: ita nec in mortis causa donationibus.

A<sup>r</sup> FIDEI VSSIONE, AD OBLI-  
gationem pignoris pro alio.

**C**aius, l. ij. ff. quæ res pignor. uel hypoth. dat. Et in eo quidem, qui pro muliere obligauit rem suam, facilius dicitur succurri ei, sicut & fideiussori mulieris eadem datur exceptio. Sed in eo, qui pro filiofamilias rem suam obligauit: eadem dicenda erunt, quæ tractantur & in fideiussore eius.

**V**lpianus, l. quamuis. ff. ad senatusc. Velle. Quamuis pignoris datio intercessionem faciat.

A<sup>r</sup> DONATIONE VEL EM-  
ptione, ad pignorationem.

**M**Artianus, l. j. §. j. & §. sequ. ff. quæ res pignor. uel hypothec. dat. Eam rem, quam quis emere non potest,

potest, quia commercium eius non est: iure pigno-  
ris accipere non potest.

### A SOCIETATE NEGOTIA- tionis, ad societatem matrimonij.

**P**AULUS, l. ex diuerso. §. item si mulier. ff. sol. mat. Sicuti  
enim cum socia fuerit, sic dabitur ei exceptio:  
quamuis iure ciuili sit obligata. l. aduersus. C. de crim.  
expil. h. ered. l. j. ff. de rit. nupt.

### A LEGE, AD TESTATOREM.

**I**USTINIANUS Nouell. de his qui nupt. iter. §. atq; hoc pri.  
Constit. xxij. Sanciat enim quisq; in rebus suis, ut  
dignum est, & pro lege uoluntas eius esto.

**V**LPIANUS, l. si ita fuerit seruis. §. ulti. ff. de manumis. testa.  
Conditionem autem non facere, argumentum est  
edictum prætoris, quo ita cauetur: uentrem cum  
liberis in possessionem esse iubebbo.

**I**USTINIANUS, l. cum quidam. C. de uerb. sign. Melius itaq;  
nobis uisum est, omni huiusmodi uerbositate ex-  
plosa, coniunctionem A V T pro E T accipi: ut ui-  
deatur copulatio modo esse prolatum ut & pri-  
mam personam inducat, & secundam non expel-  
lat. Quemadmodum enim (uerbi gratia) in inter-  
dicto quod ui aut clam, A V T coniunctio pro E T  
apertissime posita est: ita & in omnibus huiusmo-  
di casibus, siue institutionum, siue legatorum, siue  
fideicommissorum, uel libertatum, seu tutelarum.

### AB OECONOMIA, AD FO- renzia negotia & Ecclesiastica.

**O**ECONOMIA, est rei domesticæ lex seu administratio.  
**V**LPIANUS, l. sed si unius. §. quod autem ait prætor.

o ff. de

ff. de iniur. Et nunquid is, qui uult iniuriarum actionem mouere, segnior uel inutilis admodum sit, qui non sufficiat ad rei alicuius administrationem, ac per hoc nec ad actionem. Apostolus grauiissime tradens, qualis debeat episcopus eligi. Qui suae domui bene praesit, qui liberos habeat in subiectione cum omni reverentia. Quod si quis propriæ domui praesse non nouit, quomodo ecclesiam dei curabit?

### A' SEIPSO, AD ALIVM.

**M**axima similitudo esse debet unicuique ad alium. Nullum enim ius est præstantius, & naturæ cōuenientius, quam quod ex cuiuslibet persona colligitur respectu proximi: hoc est, illius cum quo negotium est: siue statu sunt æquales, siue inæquales. Nam et superior estimare debet, quid sibi uellet fieri si in eo esset statu, quo est subiectus, et ibi comparisonem facere. Vnde iustissimus prodijt tit. ff. quod quisque iuris in alium statuit, uti ipse eodem iure utatur.

Vlpianus, l. j. ff. de solutio. Dummodo in id constituant solutum, in quo si ipse deberet, esset soluturus.

Autor totius iuris Matt. vij. Omnia igitur quæcumque uolueritis ut faciant uobis homines, sic & uos facite illis. Hæc enim est lex & prophetæ. Ecce, uerum ius quisque estimabit ex similitudine sui ipsius ad proximum collata. Vlpianus, l. cum autem. §. excipitur. ff. de ædil. edict. Tanquam nihil noui non in alium ausurus, qui hæc aduersus se ausus esset.

### A B A D Q V I S I T I O N E, ad retentionem.

**S**icut in re præsenti, oculis duntaxat & affectu adquiritur possessio. l. j. §. si iusserrim. ff. de adquir. posses. Ita solo animo

*animo retinetur plerunque. l. quamuis saltus. ff. eod. tit.*

*Quemadmodum humana conditio exegit præcepta de adquirendis rebus & earum utilitatibus : ita necessarium fuit uarijs modis curare , ut traderentur remedia quibus conseruari retineri q; possent.l. fi. ff. de legib. l. j. C. si manci. ita fuer. alien.*

A<sup>1</sup> D O M I N I O , A D  
possessionem.

*Q* Vanquam proprietas nihil commune habere dicitur cum possessione: quatenus ad persequendum in iudicio ius suum attinet.l. naturaliter. §. nihil commune. ff. de adquir. posseß. In alijs tamen circumstantijs habent aliquid commune. Paulus. l. j. ff. eod. tit. Per communem seruum , sicut per proprium, adquirimus etiam singuli in solidum : si hoc agat seruus , ut uni adquirat, sicut in dominio adquirendo.

A<sup>1</sup> D O T E , A D D O N A T I O -  
nem propter nuptias.

*Z*eno Imperator, C. de inoffic. testa. Quoniam constitutio diui Leonis, ante nuptias donationem à filio conferri , ad similitudinem dotis, quæ à filia confertur , præcepit : etiam ante nuptias donationem filio in quartam præcipimus imputari.

*Quemadmodum dos habet in se tacitam conditionem, Si matrimonium sequatur.l. stipulationem. & l. promittendo, in princ. ff. de iur. doti. Sic & donatio propter nuptias. Inflit. de donationib. §. est & aliud genus inter uiuos.*

*Sicut constante matrimonio dos non potest alienari. Inflit. quib. aliena. licet uel non, in prin. l. lex Iulia. C. de fund. dot. Ita nec donatio propter nuptias rei immobilis. Nouell.*

**V**t res immobil. donatio.in prin. Constit.lxj.

**Q**uae priuilegia conceduntur doti, eadē donationi propter nuptias competunt. Nouell. De æqual. dot. & donat. propt. nupt. in prin. Constit. xcviij. l. j. §. Et ut plenius. C. de rei uxo. actio. Ita & in huiusmodi actione damus ex utroq; latere hypothecam. Gloss. Institut. de donat. §. sed tamen nomen.

**V**t soluto matrimonio dos reuertitur ad eum, qui dedit & stipulatus est : ita & donatio propter nuptias. l. dos à patre. C. solut. matri. l. si cùm dotem. in prin. ff. eo. tit. c. fi. de donat. inter uir. & uxor.

### A' REI VINDICATIONE, ad petitionem hæreditatis.

**P**AULUS in l. sin autem cùm. §. si homo petitus. ff. de rei vindicati. Cum enim in hæreditatis petitionem, quæ & ipsa in rem est, dolus præteritus fertur: non est absurdum per consequentias & in speciali in rem actione dolum præteritum deduci.

### AB INSTRUMENTIS, AD testes: & contra,

**C**ONSTANTINUS Imperator. In exercendis litibus eandem uim obtinent tam fides instrumentorum, quam depositiones testium, c. cùm Ioannes. §. porrò cùm dubitatio. de fide instrum.

### A' THESAVRO, AD ARBO- res tempestate deiectas.

**V**LPIANUS, l. fructus esse. §. si fundum. ff. solut. matrim. Sed si ui tempestatis ceciderint: dici oportet, pretium earum restituendum mulieri, nec in fructum

etum cedere: non magis, quam si thesaurus fuerit  
inuentus.

A' P A C T O , A D  
usucaptionem.

**I**vlianus in l. si ædes meæ, in prin. ff. de seruit. urb. præd.  
Atque ita per statutum tempus ædificatum ha-  
buero: libertatem aduersus Publum Meium  
usucapiam. Non enim una seruitus Titio & Me-  
vio debebatur, sed duæ. Argumentum rei præbet,  
quod si alter ex his seruitutem mihi remisisset: ab  
eo solo liberarer, alteri nihilominus seruitutem  
deberem.

A' F I L I O F A M I L I A S ,  
ad fideiussores.

**Q**uemadmodum ex mora filij familias debitoris datur  
in parentem actio de peculio: è diuerso autem, ex  
mora parentis non competit actio aduersus filium: Ita  
etiam mora principalis nocet fideiussori, non contrà l. cum  
filius familias, in princ. ff. de uerb. obligat.

A' S O L V T I O N E , A D P A C T V M .

**P**rocedit adfirmando & negando. Qui ex officio recte  
accipit solutionem, is & pacisci potest: & contrà. Cui  
non recte soluitur debitum, ei nec licet pacisci. l. quia &  
solui. l. sed si tantum. ff. de pact.

I N F R A C T I O .

Si nulla sit officij ratio, cui posset adcommodari potestas  
acciendæ solutionis & paciscendi, cessat argumentum.  
Ut est uidere in eo, qui stipulationi adiicitur. Liberat enim  
sibi soluentem, sed non petit neque noua paciscendo. l. sed  
o 3 & si

*& si filio familias. §. si mihi. ff. de constit. pecūl. cū recte.  
ff. de noua.*

A' S E R V I T V T E R E R V M,  
ad usumfructum.

**Q**uemadmodum stipulatio de seruitute rerum, ire  
agere sibi hæredit̄ suo licere, ualeat: Ita etiam  
de usufructu. l. stipulatio ista habere. §. si quis ita. ff. de uerb.  
obligat.

A' N U P T I I S, A D  
sponsalia.

**S**cias tamen quod de nuptijs tractamus, & ad  
sponsalia pertinere, ait Modestinus in l. tutor factam.  
ff. de sponsalib. l. sponsalia. Et l. oratio. ff. eo. tit.

Adfirmando & negando procedit argumentatio. l. si  
quis tutor. §. quamuis uerbis. ff. de rit. nupt.

I N F R A C T I O.

Hoc caput ad nuptam tantū libertam pertinet,  
ad sponsam non pertinet. l. in eo iure. ff. de rit. nupt.

A' S E R V O, A D  
liberum.

**P**AULUS in l. cum fundus, in fin. ff. si cert. petat. Et quæ-  
cunque ( si cum libero contraxit ) deberentur  
dominus serui præstaret, ait Paulus. Quo loco Barto-  
lius & Alexander adserunt, ualere argumentum à seruis,  
ad Monachos. Paulus in l. ut tantum ueniat. §. j. ff. de  
seruo corrupt. Disputans utrum actio serui corrupti por-  
rigatur ad liberos , sic ait : Sed utilis competit officio  
iudicis aestimanda : quoniam interest nostra , ani-  
mum liberorum nostrorum non corrumpi.

## I N F R A C T I O.

**F**acile hoc argumentum corruit data dissimilitudine inter seruum & liberum hominem. l. quod attinet. l. in omnibus, l. seruitutem. & l. cum seruis ff. de reg. iuris.

**Q**uinimò, & à filiofamilias ad seruum, uel contrà, non semper procedit: quanquam inter hos est maior similitudo. Vlpianus, l. depositi nomine. ff. de pecul. Si filiusfamilias iuslurandum detulerit, & iuratum sit: de peculio danda est actio, quasi contractum sit. Sed in seruo diuersum est.

**A**ficanus, l. seruus si in rem. ff. de in rem uerso. Seruus si in rem domini pecuniam mutuatus, sine culpa eam perdidit: nihilominus posse cum domino de in rem uerso agi existimaui. Nam & si procurator meus in negotia mea impensurus, pecuniam mutuatus, sine culpa eam perdiderit: rectè eum hoc nomine mandati, uel negotiorum gestorum acturum.

A' C I V I L I B V S A C T I O-  
nibus, ad ædilicias.

**V**lpianus in l. sciendum tamen est. §. dictum à promis.  
ff. de ædil. edict. Nam qui ex empto potest conueniri, idem etiam redhibitoris actionibus potest conueniri.

A' P A C T I S A D , S T A-  
tuta seu leges.

**E**x l.ulti. C. de fideiussorib. Si enim pactis conuentis hoc fieri conceditur, & in usu cotidiano semper hoc uersari adspicimus: quare non ipsa legis autoritate hoc permittratur: Sunt autem qui  
o 4 recte

recte existimant, hanc argumentationem adfirmādo dunt  
taxat procedere.

## I N F R A C T I O.

Cum non consensus, sed dominium rei inspicitur princi-  
paliter: minimē procedit. Ut adparet ex collatione. l. si unus  
ex argentarijs. §. item si pactus. ff. de pact. & l. si quis cum  
totum. §. si ancillam. ff. de except. rei iudi.

A C A S V F O R T V I T O,  
ad euentum mortis.

**C**asus fortuitus est euentus rei inopinatus, qui huma-  
nitus prouideri non potest.

Huic opponitur culpa, cum euentus rei potuisset homi-  
nis opera caueri.

Casus fortuiti sunt, Incendium, Ruina, Naufragium,  
Latronum incursum. Inst. de rer. diuisio. §. thesauros. &  
§. seq. & quib. mod. re contra. oblig. §. item is cui.

Adnumerantur, Diluuium, Vis maior, Et Sterilitas: que  
humana diligentia evitari non possunt. Vis enim maior di-  
citur inclemensia cœli, seu tempestas: que perniciem fru-  
ctuum, uel aliud adfert detrimentum. Vnde Græci θεού  
Βλαψ appellant, hoc est, Diuinam uim. l. si merces. §. uis ma-  
ior. ff. locat. & conduct.

Sterilitas est, que cœlo silente paulatim adfert perni-  
ciem, non autem palam horrido & uno impetu, sicut tem-  
pestas, aut diluuium. l. ex conducto. §. j. ff. loca. & conduct.  
l. contractus quidam. ff. de reg. iuris.

Sicut igitur casus fortuitus iustum præstat excusatio-  
nen: ita & mors, d. l. contractus quidam. Dum dicit:  
Animalium casus mortes. Ut casus fortuitus sol-  
uit obligationem ex contractu: sic etiam mortis euentus

Vlpiā

Vlpianus. l. si quis domum. ff. locat. & conduct. Si fructuarius locauerit fundum in quinquennium, & deceperit: haeredem eius non teneri.

A' S T A T U T I S V E L L E-  
gibus, ad pacta.

**Q**uod per statuta uel leges introduci potest: idem per pactiones quoq; non perperam recipitur. Imo plus operatur aliquādo pactum, quam lex: in eo quod per conuentionem firmatur, & alioquin lege non ualeret scripta, uel non scripta. Ut l. si quis in conscribendo. C. de pact. tit. de feud. Marchiae. §. fi. l. pacisci contra. ff. de pact.

## I N F R A C T I O.

I. In his quae iuris publici sunt, minime gentium procedit argumentatio. Nam lex hic regnat constanter dirigenς, que ad multorum salutem pertinent. l. ius publicum. l. iuri gentium. §. si paciscar. & l. si unus ex argentarijs. ff. de pact.

II. In poenis capitalibus, legis duntaxat autoritas ualeat, non hominis conuentio. l. j. §. calumniatoribus. ff. ad senatusc. Turpill. Argum. Nouell. & in medio litis sac. for. in princ. Constit. cxiiij.

A' B E C C L E S I A, A D  
rempublicam.

**E**cclēsia & respublica paribus ambulant passibus. l. fi. C. de sacrosanct. ecclēs. Nouell. de non alienan. aut permitt. §. si minus ergo. Constit. vj. Uticq; cūm nec multum differant ab alterutro Sacerdotiū & Imperium, & sacræ res à communib; & publicis. Sicut respublica non potest sine legibus feliciter gubernari;

nari: ita ecclesiam oportet externis cærementijs & ordinationibus uti: id quod pleriq; phanatici aut non intelligunt, aut dissimulant. Quemadmodum ecclesiam non decet lædi à republica, sic ecclesiārū priuilegia non oportet in perniciem reipublicæ conuerti. l. ad instructiones. Et liubemus nullam. C. de sacro sanct. eccl. es.

AB EO QVOD PER PERAM  
fit, ad id, quod factum non est.

**S**I eundem effectum consequerentur, & quæ secundum legis formulam, & quæ cōtra legi ordinationem agerentur: leuioris farinæ homines, nunquam aliquid legitime, sed omnia secundum uagos affectus dicerent atq; facerent. Ideoq; prudentissimè cautum est, ut omnes actus contra legi institutionem tentati, perinde habeantur, atq; si nūquam aliquid factum fuisset. Vlpianus, ff. de autor. & consen.tuto. Nulla enim differentia est, non interueniat autoritas tutoris, an perperam adhibeatur.

Paulus, ff. qui satisd. cog. Quoties uitiose cautum uel satisdatum est: non uidetur cautum.

Vlpianus, l. ubi exigitur. ff. de cdend. Dolo autem malo non edidit, & qui malitiose edidit, & qui in totum non edidit. Si quis secundum conuentionem, ut expromissorem daret, mulierem det, quæ auxilio senatus consulti munita est, non censetur expromissorem dedisse. Quid enim interest, non det, an tales det. ait idem Vlpianus, l. quamvis pignoris. s. si conuenerit. ff. ad senatusc. Velleian.

Caius, l. j. §. quod si nemo. ff. quod cuiusq; uniuersitat. nomin. Et quidem non esse actorem uel syndicu-  
m, tunc quoque intelligimus: cùm is absit, aut ualetud

ualetudine impediatur, aut inhabilis sit ad agendum. Ergo qui procuratorem non potest habere recte instructum: is iure censebitur non habere procuratorem. Adde l.j. ff. si quis in ius uocat. non ier.

### AB ILLATA VIOLENIA, ad iniqum iudicium.

**C**icer eleganter in Verrem, actio.iiij. Num (inquit) per Deos immortales quid interest: utrum prætor imperet ui, cogatq; aliquem de suis bonis decedere: an huiusmodi iudicium det, quo iudicio indicta causa fortunis omnibus euerti necesse sit? De hoc uide querelam Iustiniiani Imperatoris, Nouell. ut præsid. absq; ull. dat. Constit. viij. Cuius uerba recitabimus infra, tit. de figura dictionis.

### DE ARGVMENTATIONVM FOR- MVLIS.

**Q**uemadmodum fabri duplex est deliberatio ad structuram cuiuslibet operis: altera de materia, altera de forma: Sic iurisperitum, qui probationem suam recte uult instituere, primum curare oportet, ut aptam arripiat ex cause deseruientem materiam: deinde ut eam tali ordine connectat, cui necessarium sit consentire auditorē uel iudicē.

Materia sumitur ex locis seu fontibus rerum supra dictis. Forma autem est dispositio seu connexio singularium partium ad argumentationem pertinentium.

Et formulæ quidem argumentandi sunt quatuor: Syllogismus, Enthymema, Inductio, Exemplum.  
Quibus

*Quibus recte adieceris. Dilemma.*

DE SYLLOGISMO.

**S**yllogismus est oratio seu formula, in qua propositis quibusdam, aliud necessariò sequitur, propter ea que posita sunt. Constat enim ex duabus propositionibus, scilicet, Maiore, Minore, & Conclusione.

Maior appellatur, quia plus uirium habet, ac probationem suppeditat. Vnde sumi eam ex aliquo locorum quos suprà recitavi, & certam esse oportet, ut irrefragabiliter subsistat. Minor uero nuncupatur, quod minus uirium habeat, ut de qua uersatur quæstio. Conclusio deinde dicta est, quoniam pronuntiat & concludit de his, quæ proposita sunt.

**P**aulus, ff. de legat. j. Senatus enim ea, quæ sunt ædium, legari non permisit. Maior est propositio, quæ per autoritatem Romani senatus, ponit prohibitionē quorundam legatorum. Hæc autem mortis tempore ædium non fuerunt. Minor est, ponens res controversas, à testatore quasi translatuero in aliā domum partas, nō pertinere ad prohibitionē, nec ædibus adfixas esse. Hæres ergo æstimationem præstabit. Conclusio est, iudicans quid tenendum sit: nempe, hæredem, qui res legatas ædibus iniunxit, æstimationem debere soluere.

Figuræ autem seu formulæ syllogismorum sunt tres: extra quas connexio trium propositionum non tenet. Eas per exempla tantum populariter, non autem dialecticis aliquanto perplexioribus præceptis, existimauimus esse proponendas tyronibus iuris.

EXEMPLA PRIMAE FIGVRÆ.

*Omne mandatum potest re integra reuocari. Omnis qui*

qui gratuito aliquid faciendum imponit, mandatum dat. Ergo quidquid imponitur gratuito faciendum, reintegra potest reuocari. Instit. de mandat. §. item si adhuc, & §. in summa. Vtraq; propositio, & conclusio, sunt uniuersales adfirmatiæ.

## ALIVD.

Nullæ leges ita scribi possunt, ut omnes casus comprehendant: Omnes sententiæ quæ communiter præcipiunt honesta, & uerant turpia, sunt leges: Ergo nullæ sententiæ quæ præcipiunt honesta & uerant illicita, sic scribi possunt, ut omnis casus comprehendatur. l. i. & l. neque leges. ff. de legib.

## ALIVD.

Omnis actor sequi tenetur forum rei conuenti: Titius aduersus Semproniu[m] est actor: ergo Titius forum Sempronij debet sequi. l. iuris ord. C. de iurisd. om. iud. l. actor. C. ubi in rem act. exer. deb. Maior est uniuersalis adfirmatiua: Minor & conclusio particulares adfirmatiæ.

## ALIVD.

Nemo potest ius regalis beneficij, à principe datum, ad alium transferre priuatim: Titius accepit à principe ius regalis beneficij: Ergo Titius non potest ius regale ad alium priuatim transferre. l. nemo. ff. de regu. iuris. Maior est uniuersalis negatiua: Minor particularis adfirmatiua: Conclusio particularis negatiua.

## EXEMPLVM SECUNDÆ FIG.

Nullus obligatur ex consilio sine fraude dato: Omnis qui sine fraude suadet alicui domus uenditionem, dat consilium: Ergo nullus suadens alicui bona fide uenditionem domus, obligatur. Instit. de mandat. §. tua tantum gratia. l. consiliij. ff. de reg. iuris. Maior & Conclusio sunt uniuersales

*Sales negatiæ : Minor uniuersalis adfirmatiua.*

A L I V D.

Omnis contractus societatis, & culpam & dolum recipit: Nullum mandatum culpam & dolum recipit: Ergo nullum mandatum est contractus societatis. l. contractus. ff. de reg. iuris. Maior est uniuersalis adfirmatiua: Minor & Conclusio, uniuersales negatiæ.

A L I V D.

Nullum furtum fit sine affectu furandi: Titius rem alienam abstulit sine affectu furandi: Ergo Titius furtum non commisit. Instit. de oblig. que ex delict. nasc. s. placuit. Maior est uniuersalis negatiua: Minor est particularis adfirmatiua: Conclusio est particularis negatiua.

A L I V D.

Omnis iniuria ex affectu facientis fit: Sempronius Titium non affectu læsit: Ergo Sempronius iniuriam Titio non fecit. l. illud. ff. de iniur. Maior est uniuersalis adfirmatiua: Minor & Conclusio sunt particulares negatiæ.

E X E M P L U M T E R T I A E F I G.

Omnis furiosus à testamento faciendo excluditur: Omnis furiosus caret animi iudicio: Ergo quidam carentis animi iudicio non potest facere testamentum. Probatur, Instit. quibus. non est permis. facer. testam. s. præterea testamentum. Maior & Minor sunt uniuersales affirmatiuae: Conclusio est particularis negatiua.

A L I V D.

Nullum iustum imperium est repudiandum uiolenter: Omnia iusta imperia habent aliquid oneris & errati: Ergo aliqua onera & errata non sunt repudianda uiolenter. l. pe. ff. de iust. et iur. Maior est uniuersalis negatiua: Minor uniuersalis adfirmatiua. Conclusio particularis negatiua.

271

A B

## ALIVD.

Ius naturale concedit defensionem contra uim iniustam: Omne ius naturale est ius diuinum: Ergo ius diuinum concedit defensionem contra uim iniustam. Probatur. I. ut uim. ff. de iustit. & iur. & Rom. xiiij. Maior & Conclusio sunt particulares adfirmatiue: Minor uniuersalis adfirmatiua.

## ALIVD.

Omnis liberi nominatim uel exhaeredandi, uel hæredes instituendi sunt: Quidam liberi sunt posthumi: Ergo quidam posthumi nominatim, uel exhaeredandi, uel hæredes instituendi sunt. Probatur Instit. de exhaereda. libero. S. sed hæc quidem l. maximum uitium. C. de liberis præte. Maior est uniuersalis adfirmatiua: Minor & Conclusio particulares adfirmatiue.

## ALIVD.

Prouocatio ad iudicem non prohibetur Christianis: Omnis prouocatio, est certare iudicialiter cum aduersario: Ergo certare in iudicio non est prohibitum Christianis. Matthei xxij. Roma. xiiij. Maior & Conclusio sunt particulares negatiue: Minor uero uniuersalis adfirmatiua.

## ALIVD.

Nullus homo simul & iudex & arbiter esse potest. Quidam homo est filius familias: Ergo quidam filius familias simul & iudex & arbiter esse non potest. Probatur l. sed si in scrum. S. si quis. ff. de recept. arbitr. Hic, Maior est uniuersalis negatiua: Minor particularis adfirmatiua. Conclusio particularis negatiua.

SINGVLARIA DE FORMV-  
lis argumentationum.

I. Vt consilia iurisconsultorum, quibus ad tradendam  
nobis

nobis artem boni & aequi sunt usi, recte percipias & imiteris, non est ignorandum, Tripes genus tractandi iuris in pædectarum capitibus quæ ex libris eorum excepta sunt, deprehendi. Aut enim libero scribendi officio fungabantur: ut in libris opinionum, sententiarum, definitionū, & regularum, quos per inscriptiones optimus Halander nobis pro magna parte designauit. Aut ad aliorum interrogationem respondebant: ut in libris responsorum & epistolarum. Vnde sunt hæc uerba, Ex facto quæsum est, Item Respondi. Celsus. l. domitius Labeo. ff. qui testam. facer. poss. Aut non intelligo, quid sit, de quo me consulis: aut ualde stulta est consultatio tua. Tradit obiter Pomponius in l. ij. in fi. ff. de orig. iur. Aut deniq; leges, senatus consulta, Principum constitutio- nes, Prætorum edicta, uel libros ab alijs scriptos declarab- bant, uel colligebant in epitomē, uel notis reprehendebat, uel si quid decesset addebāt. Inde sunt inscriptiones, Ad edi- ctum, Ad senatus cōsultum, Ad orationem diui Seueri. Item, Ad Sabinum, Ad Plautium. Instit. de hæred. instit. in prin. Paulus suis libris, quos tam ad Massurium Sabi- num, quam ad Plautium scripsit, refert. Ad Sabinū enim, hoc est, ad Sabinianos libros scripsisse Paulum intel- ligere. Non uero quasi sic scripsisset ac mississet libros ad cū, quemadmodum Cicero ad Brutum, uel ad Q. fratrem.

In his omnibus scriptorum generibus usi sunt iuris- consulti diuersis argumentationum formulis: sed quas tam uix aliquando agnoscas: quoniam singulis membris singulas adiiciunt probationes, easq; uehunc longius, de- clarant, atq; confirmant rationibus.

I I. Nonnunquam apud Iurisconsultos interuertitur ordo syllogisticus, uel alterius formulæ probandi. Primo enim

enim loco s<sup>e</sup>pe ponitur conclusio, deinde maior, postremo minor propositio. ut in l. de quibus. ff. de legib. In ueterata consuetudo pro lege non immerito custoditur: Est conclusio. Nam cū ipsae leges nulla alia ex causa nos teneant, quād quōd iudicio populi receptae sint: Maior est. Meritō & ea quē sine ullo scripto populus probauit, tenebūt omnes: Est minor propositio.

Reduc ista ad ordinem syllogisticum hoc modo. Leges scriptae uelut iudicio populi receptae, tenent omnes: In ueterata consuetudinē, sine scripto populus iudicio suo probauit atq; recepit: Ergo in ueterata consuetudo pro lege nō immerito custoditur. Tū quidē adiicit. Nā quid interest, suffragio populus uoluntatē suā declaret, an rebus ipsis & factis? Confirmatio est minoris. Infinita p<sup>a</sup>sīm exempla lector ipse non difficulter in Pandectis reperiet.

III. Omni scriptorum genere siue publico, siue priuato, siue forensi, quo magis citra errorem intelligere ac iudicare possis, utilissimum fuerit excerpti syllogismos nudos, qui principalia totius disputationis membra, tanquām detracto uestitu propius ostendant. Simplicitas enim syllogistica, quae breuiter connectit sententiam quamlibet latē patentem, facilius multò potest inspici, ac qualis sit iudicari, quām fluens oratio, multas complectens amplificatiōnes & digressiones. Quamobrem Cicero de finib. bonor. lib. ij. laudat Aristotelem, qui Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse dicebat: quōd latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem compræhenſius.

## DE ENTHYMEMATE.

**E**NTHYMEMA est imperfectus syllogismus: quando recitata una propositione, additur conclusio: omissa ma-

p*p* iore

iore uel minore. Aut cùm conclusio ex propositionibus omittitur, breuitatis causa, uel quia satis nota sit.

Prior pars enthymematis uocatur antecedens: posterior uero consequens. l. iij. C. de contrah. emp. Emptionem & uenditionem (inquiunt Imperatores) consensum desiderare. Ecce maior. Nec furiosi ullum esse consensum, manifestum est. Hæc minor. Conclusio autem omittitur. Ergo furiosus non contrahit emptionem & uenditionem.

Syllogismus, integrum est argumentum, dictus quasi Computatio, Eine Rechnung. Enthymema uero Cognitionem quandam significat, Ein bedencken, quasi imperfecta argumentatio.

Aliás autem antecedens est falsum: & tunc sequela nullam confirmationem ad fert. Aliás antecedens est uerum, & consequens non subsistit: tunc uitium latet in ea parte, quæ omittitur. Idq; faciliter intelliges, si reduxeris ad formam Syllogismi, & singulas partes inspexeris. Deniq; & hoc non est ignorandum: quod Enthymema dici non potest ea connexio, quæ ad Syllogismum reduci nequit.

Enthymema ex una tantum propositione concludit, Syllogismus ex duabus propositionibus. Et in hoc populariter discerni possunt hæ formulæ.

Enthymematis in quo conclusio omittitur, exemplum est in l. Adoptiuus filius. §. j. ff. de rit. nupt. Quoniam in contrahendis matrimonij naturale ius & pudor inspiciendus est. Contra pudorem autem est, filiam suam uxorem ducere. Conclusio. Igitur filiam suam nemini licet uxorem ducere.

Vlpianus, l. si filius familias. ff. si cert. petat. Quoniam toties condic̄tio datur, quoties ex ea causa numerati

rati sunt, ex qua actio esse potuisset, si dominium ad accipientem transstulisset, In proposito autem non esse. Desideratur conclusio. Ergo non datur conditio.

Paulus, l. non distinguemus. §. item si iubeat. ff. de recept. arbit. Nam sententia esse debet de re compromissa. De hoc autem compromissum non est. Omittitur conclusio hæc, Ergo non tenet sententia.

Iulianus, l. procurator cum peteret. ff. rem rat. haber. Nam in stipulatione cauetur non petitum eum, cuius de ea re actio, petitio, persecutio sit: & ratum habituros omnes ad quos ea res pertinebit. Hic autem qui procurator non est, nec actionem, nec petitionem habere intelligendus est. Omittitur conclusio: Ergo qui non est procurator, ex stipulatione, Radam rem haberi, petere non potest.

Vlpianus, l. eleganter Pomponius. §. si quis post. ff. de condi. indeb. Nec repeti solet, quod ob causam datum est, causa secuta. Sed hic non uidetur causa se- cuta, cum transactioni non stetur. Omittitur conclusio hæc: Ergo potest repeti quod datum est.

Africanus, l. qui seruum suum. ff. de adquirend. hæred. Quoniam non nisi uoluntate domini, adquiri hæreditas potest. Furiosi autem uoluntas nulla est.

Adde conclusionem: Ergo seruus furiosi non potest adquirere hæreditatem.

Ordo quoq; Enthymematis nonnunquam apud Iurisconsultos inuertitur. Vlpianus, l. iiij. §. conditio. ff. de adimen. legat. Nec enim datur conditio, sed adscribitur. Est minor. Quod autem adscribitur, non potest adimi. Est maior propositio. Adde conclusionē: Ergo conditio non potest adimi. Cum tamen uerba nimis aucupetur: non pro-

cedit. Quod clausula sequens declarat. Sed melius est sensum magis, quam uerba amplecti.

## DE INDUCTIONE.

**I**nductio est à singularibus sufficienter enumeratis, ad uniuersale progresio. Nam ideo dicitur inductio, quod plura subinde singularia monstrans inducit & inuitat mentem, ut uniuersali propositioni non repugnet.

Vt, exceptiones dolii mali, metus, erroris, non numeratae pecuniae, solutionis, iuris iurandi, pacti conuenti, præscriptionis, rei iudicatae, ad defensionem pertinent. Et breuiter, nulla est exceptio, quae defensionis gratia non sit comparata reis iniuste conuentis. Ergo omnes exceptiones gratia legitimae defensionis sunt introductae pro reis conuentis. Instit. de exceptionib. §. j.

Item, Iudicium petitorum, possessorum, recuperatorium, uniuersale, particulare, & quodlibet præterea iudicium absoluendi uim habet: Ergo omnia iudicia sunt absolutoria. Instit. de perp. & temp. act. §. supereft.

Vbi autem unius singularis adducitur dissimilitudo, ibi corruit inductio: Nam idem prorsus significant: Vniuersalis propositio: & collectio omnium singularium sub ea. Vnius igitur data instantia, non consistit uniuersalis illatio.

## DE EXEMPLO.

**E**xemplum hic accipitur pro forma argumenti, quia singularis propositio aliam singularem propositiōnem confirmat, propter similem rationem. Et sic ipsam connexionem propositionum spectare oportet. Alias uero exemplum est locus, unde probatio iuris depromitur, ut suo ordine tractuiimus.

Quam

**Q**uamobrem si respicias ipsam argumenti structuram, quod antecedens propter exemplum in ea compræhensionem pariat consequens, formula censembitur argumentandi. Sin autem ipsam similitudinem consideres, que iuris demonstrationem producat: locus erit dicendus ad finis loco, & simili. Alioquin & ipsæ leges sunt plenæ exemplis publico consensu receptis. l. j. §. secundo loco. ff. de postul. l. aut facta. §. euentus. ff. de pœnis.

## DE DILEMMATE.

**D**ilemmatis usus frequens & utilis est ad conuincendum aduersarij calumniam. Constat enim ex duabus partibus, quarum utram amplectatur aduersarius, incidit in repræhensionem. Vnde non ab re uocant Compræhensionem, quod undiq; aduersarium comprehendat.

**V**lpianus, l. si procuratorem. ff. mandat. Igitur si ignorauerunt, excusata ignorantia est: si sciuerunt, in cumbebat eis necessitas prouocandi.

Aliud exemplum est in l. si mulier. ff. ad senatusc. Vell. Vlpianus, l. §. quod ergo additur. ff. de ui & ui arm. uolens probare dominum, de uiolentia seruorum conuentum, non grauari, dicit: Quippe cum aut peruerterit ad eum aliquid, & restituere: Aut non peruerterit, & ipsos seruos noxae dedendo maleficij causa, indemnus erit.

## DE VITIOSIS ARGUMENTATIONIBUS.

**V**itiosam argumentationem Dialectici fallaciam, iurisconsulti Cauillationem, Græci σόφιστα nuncupant: omnes respicientes ad imposturam, qua pro uero p 3 falsum.

falsum obtruditur, alias errores, alias calumnia.

Fallacia enim est deceptio in argumento, quae specie alia  
qua ueri insidiatur auditori uel lectori. Et Vlpianus se-  
cundum Iulianum, eam definit naturam cauillationis esse:  
ut ab euidenter ueris, per breuiissimas mutationes disputa-  
tio ad ea, quae euidenter falsa sunt, perducatur. I.ea est na-  
tura. ff. de reg. iuris. l. natura. ff. de uerbor. signif. l. qui qua-  
dringenta. in prin. ff. ad leg. falcid.

Est autem tanto perniciosius malum, quanto magis sub  
aspectu latet, ac citius plerunq; nocet quam sentitur. Alio-  
quin, si ab initio statim falsa proponerentur, sine periculo  
possent facilius evitari. Vnde Celsus: Sub autoritate iu-  
ris scientiae pernitiose erratur. l. si seruum stipulatus. §.  
sequitur uidere. ff. de uerb. obliga. Sæpe item honesta  
interpretatio, non honesti quæstus lucrum facit.  
l. si possessor. ff. de petit. hæred.

Toties autem solet hoc uitium fallaciæ, quibuslibet ar-  
gumentationibus incidere, quoties summae iuris definitio-  
nes, omisis aut parum expensis negotij qualitatibus &  
circumstantijs, obiter inspiciuntur. Siquidem Iulianus sic  
admonet: Multa iure ciuili contra rationem dispu-  
tandi pro utilitate communi recepta esse, innume-  
rabilibus probari potest.

Duo autem sunt uitiosarum argumentationum genera.  
Alterum consistit in forma: Alterum in materia.

In forma peccat argumentum, quando propositiones non  
connectuntur secundum figuras superius explicatas, sed te-  
merè coniiciuntur. Aut si totus syllogismus constet ex ne-  
gatiuis propositionibus & cōclusione. Aut deniq; si omnia  
eius membra sint particularia, ex quibus nihil sequitur.

¶ Ut, Nullæ res incorporales propriè traduntur, l. seruus.

§. inc

incorporales. ff. de acquirend. rer. domin. Nulla pecunia est res incorporalis. Instit. de reb. corporal. & incorporal. §. j. Ergo nulla pecunia propriè traditur.

Item, Quedam mandata homines non obstringunt: Quedam leges publicæ sunt mandata: Ergo quædam leges publicæ homines non obstringunt.

In materia censetur syllogismus plane uitiosus: quando fallacie latent, uel in uerbis, uel in rebus: quam Aristoteles fallaciam extra dictionem uocat.

Modi autem quibus fallacie uerborum depræhenduntur, sunt hi.

Aequiuocatio. Amphibologia.

Compositio. Diuisio.

Figura dictionis. Accentus.

### DE AEQVIVOCATIONE.

**A**Equiuocatio est captio nata ex ambiguitate unius uocis, Aut scilicet quod idem uerbum plura significat. Aut quia metaphoricās & similitudinariē accipitur. Aut quod significatio eius sit generalis. Tunc enim propter plures terminos dissoluitur uinculum propositionis: nec proinde potest legari conclusio.

#### B E X M P L U M .

Res sacræ in bonis nullius sunt. §. nullius Instit. de rer. diuis. Quæ in bonis nullius sunt, occupati cōceduntur. §. fe- rae igitur. Institu. co. tit. Ergo sacræ res occupanti conce- duntur. Falsissima est illatio, l. ij. ff. ne quid in loc. sacr. l. sepulcri. ff. de sepulc. uiol. l. ij. §. interdicta uero. ff. de in- terd. seu extraord. actio.

Dictio enim Nullius, est æquiuoca. Potest aliás referri ad humanum commertium: aliás ad usum religionis diuinæ.

Et tunc res sacræ non dicuntur nullius. Porro æquissimum est, cum de vs omnia subiecerit pedibus nostris, ut quædam ad cultum eius relinquantur.

Itaque si alteram tantum significationem arripias, quæ captioni deseruit, falsam efficies argumentationem. Quia res sacræ censentur de i, ad excludendam occupationem.

## A L I V D.

Fructus rei est pignori dare licere. l. fi. ff. de usuris. l. fructus. ff. de reg. iuris. Omnis fructus pertinet ad usufructuarium. l. iij. ff. de usufruct. & quemad. Ergo pignori dare licere, ad usufructuarium pertinet. Quod est falso. l. interest. C. de usufruct. Vitium latet in uerbo Fructus: quod aliâs accipitur pro omni utilitate rei, ut in d. l. fructus. Aliâs pro emolumenis ex ipsa re prouenientibus, sicut in d. l. iij.

## A L I V D.

In causa serui redhibendi, tenetur actor exhibere. l. fin. C. de ædilit. action. Sempronius habet seruum mortuum in causa redhibitionis. Ergo Sempronius tenetur seruum mortuum exhibere. Negatur illatio: quia est contra l. quod si nolit. & si mancipium. ff. de ædil. edic. Vitium enim nascitur ex uerbo Exhibere: quod aliâs probare significat, aliâs copiam appræhendendi facere.

## A L I V D.

Hæreditatem euincenti restituenda sunt omnia bona, quæ defunctus possedit tempore mortis: Sed filia euicit hæreditatem paternam: Ergo restituenda ei sunt omnia bona, quæ pater defunctus possedit. Neganda est consequia, propter æquiuocationem. Vniuersalis enim diælio Omnia, non compræhendit beneficia militaria. Ut Bartolus secundum Dynum recte definit in l. item uidentur.

dum. §. 5. & l. seq. ff. de petit. hæred. iunct. l. omnis definitio. ff. de reg. iuris.

## A L I V D.

Sacerdotes sunt alendi ex redditibus ecclesiasticis. j. Corinth. ix. c. sacerdos cui. j. q. ij. Iurisconsulti autem merito appellantur sacerdotes. l. j. ff. de iustit. & iure. Ergo iurisconsulti sunt alendi ex redditibus ecclesiasticis.

Inanis est argumentatio, propter æquiuocationē uerbi Sacerdotes, quorum appellatio metaphoricōs, & per similitudinē quandam comprehendit Iurisconsultos. Alioquin proprie non sunt tales sacerdotes, qui sacra ministrant ecclesijs. c. prohibemus. de decim.

## D E A M P H I B O L O G I A.

**Q**uemadmodum æquiuocatio ad unum duntaxat uerbum pertinet, ita amphibologia ad totam orationis structuram refertur. Ut cū ex syntaxi seu constructione, uel cū ex pluribus uerbis procedit ambiguitas. Quanquam promiscue his captionum titulis uti solent, ut æquiuocatio idem quod amphibologia nuncupetur.

## E X E M P L U M.

Nemo dici potest sustulisse, quod ferre non potuit: Seu trahē alienam quam multi sustulerant, singuli ferre non potuerunt: Ergo nullus eorum dicitur abstulisse.

Neganda est illatio ex ambiguous orationibus ducta. Nā & is censetur sustulisse, qui ope & consilio tollendi se se partipem criminis facit. Instit. de oblig. que ex del. nasc. §. ope & consilio. l. in furti act. §. j. & §. recte. ff. de furt. Et hæc uitiosa ratio, uocatur subtilis in l. si ita uulneratus, in fi. ff. ad leg. Aquil.

## A L I V D.

Qui non probatur hominem mortaliter uulnerasse, is

non potest puniri de homicidio. Sed à duobus hominibus  
militer vulnerato, non constat utrius vulnerare perierit.  
Ergo neuter potest puniri de homicidio. Amphibolo-  
gica est argumentatio. Quamvis enim non appareat, ex  
cuius vulnerare sit mortuus: constat tamen utrumque vulne-  
rasse ac deliquisse contra ius et aequitatem. I. si ita vulne-  
ratus. ff. ad leg. Aquil.

## A L I V D.

Defunctus non habuit petitionem ad rem quam iurauit  
petitoris non esse. I. et non tantum. §. Veniunt et haeres.  
ff. de petit. haered. Ergo nec haeres habet petitionem, nec  
uidetur ei restituenda. I. absurdum est. et I. nemo plus. ff. de  
reg. iur. Amphibologia est in uerbo Petitionem. Nam  
uerum est, defunctum non habuisse petitionem specialem,  
ad rem quam iurauit petitoris non esse. Et eam nec haeres  
exercet. Sed interim tamen recte utitur uniuersali petitione  
haereditatis, in qua huiusmodi quoque res est. dict. §. ue-  
niunt et haeres.

## A L I V D.

Sed me posse te uenditorem de euictione con-  
uenire, ait Africanus, I. fundum cuius, in princ. ff. de euict.  
Dubitauerit hic aliquis: utrum ergo possim conuenire te,  
ant tu me? utraq; enim interpretationem patitur oratio.

## A L I V D.

Quod igitur scribit Sabinus: libros bibliotheca-  
cam non sequi: non per omnia uerum est. I. libro-  
rum. §. sed si bibliothecam. ff. de legat. iij. In ambiguum  
torqueri posset: utrum libri non sequantur bibliothecam,  
an uero bibliotheca non sequatur libros.

Eadem ambiguitas tractari solet in I. cum filium. C. de  
inoffic. testa. et infinita sunt exempla in tit. ff. de reb. dub.

In

In ambiguo, sermone, non utrumque dicimus, sed id duntaxat quod uolumus. Itaç qui aliud dicit, quām uult: neque id dicit quod uox significat, quia non uult: neque quod uult, quia id non loquitur. Quasi dicat: amphibologice loquens, in effectu nihil censemur dicere.

Idem est, cūm quis aliud quām uult facit. Sæpiissime rescriptum & constitutum est: eum, qui testamentum facere opinatus est, nec uoluit quasi codicillos id ualere: uideri nec codicillos fecisse. Ideoç quod in illo testamento scriptum est, licet quasi in codicillis poterit ualere, tamen non debetur. l.j. ff. de codicill.

## DE COMPOSITIONE.

**Q**uando componuntur ea, quæ separatis erant inseparanda, tunc fallax fit argumentum. Quidquid est in mea domo, est in Oppido: Vnica supellex est in mea domo: Ergo unica supellex est in Oppido. Consequentia non subsistit, propter compositionem particulæ Vnica, quæ non est referenda ad Oppidum, sicut ad domum, nisi separatis, hoc modo: Ergo hæc supellex, quæ unica est in mea domo immediate, simul etiam est in Oppido mediate.

## DE DIVISIONE.

**C**VM ex diuerso membra separantur, aut mutilatè referuntur, quæ oportuit iungi. Inciuite est, nisi tota lege perspecta, una aliqua particula eius proposita, iudicare uel respondere ff. de legib. Talia quoq; argumentorum portenta ex eo turmatim prodeunt, quòd orationes male distinguuntur. Nam ex confusione membrorum, totius orationis lumen & ueritas corrumptur. Vtī multa,

multa exemplaria nobis exhibent infinitas ob hoc uitium difficultates.

### DE FIGVRA DICTIONIS & accentu.

**F**igura dictionis complectitur omnes errores, qui oriuntur ex depravatione casuum, aut generum, aut præpositionum, aut coniunctionum. l. s. epe ita. ff. de uerb. sign. aut cum ignorantur figuræ orationū. Appello enim hic crassæ figuram seu tropum, uerbi uel sermonis à propria significacione ad aliam cum quadam efficacia mutationē, quam & τεῖλαφοράν vocant, hoc est, translationem. Hæc enim omnia cum errore, uel dolo perperam adducuntur in formulis argumentorum, uel simplicibus quibuslibet propositionibus: tunc statim nascitur uitium perniciosus in disciplina ciuili quam in alijs: quoniam ordinationes politice falsis interpretationibus uerborū paulatim corrumpuntur. Adeo, ut diphthongi quoq; omissione, fallacia pariat. Exempli causa, si quis ita argutetur. Quæcunq; recte alienantur, cū quoq; licet habere uenalia: Equus recte alienatur: Ergo æquum licet uenum exponere. Vitium est propter uerba, Equum, sine diphthongo, quod significat animal, & æquum cum diphthongo, quod denotat ius uerum & perpetuum. l. pen. in prin. ff. de iustit. & iur.

Et hoc quidem argumentum licet falsissimum, regnasse tamen in republica, Iustinianus imperator conqueritur. Nouel. ut præfid. absq; ill. dati. Const. viij. Si quidē prouinciarū moderatores si lucro & prædæ intēti sint multos reos fontes accepta pro delicto pecunia absoluunt: multos rursus insontes, ut fontibus gratia faciant, cōdemnant. Necq; in pecuniarijs tantū hoc causis agunt, sed etiam in criminibus publicis, ubi de

de vita periculū uersatur. Hinc ex prouincijs fugae existat, hinc ex omnibus passim locis gemetes hoc cōfluunt sacerdotes, decuriones, cohortales, patres familiarū, plebei, rustici, optimo iure iudicū nostro rū rapinis & iniurijs succēsentes. Neq; ea sanè sola fuit, sed etiā in ciuitatibus seditiones & populares motus pecuniæ (ut plurimū) causa & excitātur, & reprimuntur. In summa, hæc est omnium malorū causa, & pecunias ex officijs conquirere, omnium flagitorum principium & finis. Et profecto quod sacra docent eloquia, admiratione dignū simul & uerissimum est: nempe, auaritiam omnium malorum matrem existere: & maximè cum in animis non priuatorum, sed magistratum innascatur. Quis enim absq; metu periculi non furetur, quis non securè latrocinetur, conuersis ad magistratum oculis, uidensq; illum omnia auro habere uenalia: confidens fore, ut nihil tam turpe admittat, quod non data pecunia possit redimere. Hæc ille.

Et quia figurarum mentio incidit: tractandæ mihi uidebantur aliquot species in iure frequentes. Valde enim ad institutam materiam pertinent.

Translatio, metaphora, cui ῥαπομία, parœmia, seu dictorum celebritas accedit. Ut, Dupondij iuuenes, à Dupondio modici ualoris, quasi rudes adhuc auditores. Cōstī. digest. j. §. & primo quidem anno.

Manumissio, De manu datio, hoc est, remissio iuris & potestatis in personam competentis. l. manumissiones. ff. de iustit. & iur.

Manu regia gubernari, hoc est, potestate, autoritate regia. l. ij. in prin. ff. de orig. iuris.

Manu

Manu longa. *l.* pecuniam quam. *ff.* de solut.

Breui manu. *l.* licet soleat. *ff.* de iur. dot.

Manu committere, pro facere uiolenter. *l.* *iij.* *ff.* de offic. præsid.

Adhibita manu, pro auxiliaria multitudine. *l.* me-tum autem præsentem. *ff.* quod met. caus.

Manus pretium. *l.* mulieris. *ff.* de uerb. signific.

Inñcere manum, pro vindicare rem nulla iudicis expectata autoritate. *l.* sed si hac. *§.* *j.* *ff.* de in ius uocand. *l.* pen. *ff.* de seru. exportand.

Emissa manus, pro cautione manu facta. *l.* quidam. *ff.* de probat. Item, per manus tradi.

Ambulatoria uolūtas, pro libera, mutabili uolūtate.

Paribus passibus ambulare. *l.* *j.* in fin. *ff.* de seru. corrupt. *l.* *fi.* *C.* de donat. ante nupt.

Per saturam, pro non seruato ordine. Constit. digest. *j.* *§.* & primo quidem anno.

Ad uerbum, Ad rogatum, pro congruenter. Cicero teste. *l.* de ætate. *§.* quod autem. *ff.* de interrog.

Probationes de domo: aliás, pro testibus suspe-  
ctis, aliás, pro confessionib. ipsius accusati. *l.* pen. *ff.* de testi.

Vespertilio, pro debitore latitante & noctu tantum  
exeunte, ne à creditoribus uideatur. *l.* si ita quis. *ff.* de euict.

Iactus retis, pro re dubia quæ in spe consistit. *l.* si ia-  
ctum. *ff.* de act. empt.

In sinu habere, aliás pro habere in potestate ac arbi-  
trio, aliás occultam rem tenere. *l.* qui testamentum. *ff.* de  
probat. Cicero Tuscula. quæst. lib. *iij.*

Fœlici diplomate uti, pro præproperè, celeriter  
agere: ductum ab his, qui cursu publico, designatis ad hoc  
equis, die noctuq; iter conficiebant: Quod sine principis  
diplom

diplomate non licebat olim. l. continuus. ff. de uerb. oblig.  
 & C. de curs. public.

Illotis manibus, pro sine ulla præparatione adhibita. l. j. ff. de orig. iuris.

Serpens in finu. c. et si Iudeos. de iudeis. & xiiij. q. j.  
 §. item præcepit Dominus.

Suo marte causas decurrere, pro suis uiribus, non  
 aliunde accersitis adminiculis relinqu debere. l j. C. ne lice.  
 potentiorib.

Emendicatis suffragijs, pro allegationibus causam  
 leuiter adiuuantibus: ductum à potentiorum commendationibus ad honores consequendos. l. singuli. C. de accusat.

Summo digito, & quasi per indicem tangere: pro,  
 obiter rem tractare uel intelligere. Instit. de pub. iud. in fi.

In folle offerre, pro non ad liquidum rationem reddere, metaphora ab ijs ducta, qui pecuniam in marsupio  
 sic ostentant, ut nec qualis nec quanta sit agnoscatur. l. cum  
 seruus. ff. de cond. & demonstr.

Connuentibus oculis, pro dissimulatione, quasi  
 non uidcantur, quæ ob oculos patent. l. is qui suis, in prin.  
 ff. de manumiss. Loquitur autem de beneficio libertatis,  
 quod lex omnibus modis promouet, etiam conniuendo.

De plano, pro cognitione summaria: ductum à iudicibus eminentiori loco pro tribunal grauiores causas ple-  
 nè cognoscentibus: leuiores uero etiam extra tribunal in  
 plano saepe definiuntibus. l. nec quidquam. §. de plano. ff. de  
 offic. procons.

Colore quæsito, pro uerborum ampullis ueritatem  
 offuscare. l. sed Julianus. ff. ad senatusc. Maced.

Nudum pactum, pro simplici, sine causa ad obliga-  
 tionem ciuilem efficaci. l. iuris g̃etium. §. sed cum. ff. de pact.  
 Nuda

Nuda uoluntas, quæ & mera uoluntas dicitur, in l.  
rem legatam. ff. de adimen. uel trāferen. legat. Nudus con-  
sensus. l. j. ff. de mili. testa. l. iij. ff. de rescin. uend. l. rem lega-  
tam. ff. de adimend. legat. l. qua ratione. §. interdum. ff. de  
adquir. rer. domi. l. qui ad certum. ff. locat. & conduct.

Nuda proprietas, cuius nullus sit fructus. l. uide-  
mus an in omnibus. ff. de usur. Nudus usus. l. j. ff. de usu  
& habita. Nudum nomen hæredis, cuius re ipsa non  
est hæretas. l. ij. §. liberi defuncti. ff. ad senatusc. Tertyll.  
Quod nota.

Nuda indulgentia. l. j. ff. unde cognata. Nuda pos-  
sessio. l. stipulatio ista habere licere. §. si quis forte. ff. de  
uerbor. oblig.

Nuda interrogatio, cui quæstio seu tortura non ac-  
cedit. l. item apud Labeonem. §. quæstionem. ff. de iniur.  
Nudum ministerium, quod nullum comitatur pericu-  
lum. l. j. ff. ad senatusc. Velleian.

Nudum igitur ab ipsa nuditate, hoc est, simplicitate  
tractum, transfertur iniure ad eas res, quæ nulla habent  
adminicula producendi effectus legitimū. Cæterū non  
potest inde statui diuisio prorsus ridicula: ut alia sint nu-  
da, alia uero uestita pacta. Quoniam à uestimentis non du-  
citur in iure metaphora.

Qua in re Iurisconsultus nostri sæculi doctissimus  
Ioannes Corasius ostendit, Alciatum fuisse lapsum: quòd  
in l. Stichum aut Pamphilum. §. naturalis. ff. de solutionib.  
Pauli uerba, Iusto pacto, accipienda putaret, pro pacto  
uestito. Nam intelligendum est, pro pacto lictio, quod neq;  
ab honestate, neq; à re priuata, hoc est, ab humano com-  
mercio remotum, & præterea absolutum sit. l. si unus ex  
argentarijs. §. pacta que turpem. ff. de pact.

Eodem

Eodem modo Papinianus appellat Iustam conuenientem. l. miles. §. defuncto. ff. ad leg. Iul. de adulteri. Et, Iustum dominium, l. penul. ff. de publicia. Marcellus vocat Iustum libertatem. l. qui poenæ ff. de manumissio. Siquidem appellatio Iusti, non repudiat appellationem Nudi. Imò quidquid iustum non est, id neq; nudum neq; absolutum, sed planè nullum est. Et interim uide, mi lector, quid faciat error figurarum. Quemadmodum etiam uariæ factorum & causarum figuræ, difficultatem ingerunt iureconsultis, in dijudicandis obligationibus & actionibus. l. j. in prin. ff. de actio. & obliga. Et toto Tit. ff. de præscrip. herb.

I I. ἀποστόλων πηγής Aposiopesis, hoc est, reticentia: cùm tacetur id, quod faciliter subintelligi potest. Ut, quoties iurisconsulti proponunt questionem, nec respondent. Nam si adfirmando proposuerint: censentur uelle responderi affirmatiue. Sin autem negando: simul etiam insinuant negationem responsionem. l. cùm fundus. §. seruum tuum. ff. si cert. petat. Scieuola, l. Licinius Lucusta. ff. de leg. ij. Quæro: inquit: nec addit plura, neminem enim putat latere, quid querat, nempe iuris responsum. Accedit l. j. ff. de hæredib. instituen.

I I I. ἐρδιαδὸς Endiadys, cùm diuersa in unam rediguntur conuenientiam. Ut, Semissim patrimonij & portionis eius. l. Lucius Titius. §. Caio Seio. ff. ad senat. Treb. hoc est, semissim patrimonij in portiones diuisi.

Eadem ratione recte dixeris: ditiones regales & redditus hodie diuidi. Hoc est, ditiones regales in redditus & emolumenta discretas, admittere diuisionem. Ipsa tamen ditionum iura beneficiaria, dignitates, tituli, non diuiduntur. tit. de prohib. feud. alie. per Frider. §. præterea. Qua in

re magni uiri uehementer hallucinati sunt.

III. *λειπότη*, Liptote, defectua, cùm minus dicitur, & plus intelligitur. De exemplis huius figuræ frustra curiosi fuerimus. Nam maxima legum pars in tanto negotiorum humanorum labyrintho, minus dicit, quām sentit: ideoq; audi malorum semper exposita. l. scire leges. l. contra legem. & l. seq. ff. de legib.

*Scœuola*, l. Imperatores. ff. de proba. Mulier grauida repudiata, filium enixa, absente marito, spurium in actis professa est. Quæsitum est, an is in potestate patris sit, & matre mortua intestata, iussu eius hæreditatem matris adire possit, nec obsit professio à matre irata facta? Respondit. Veritati locum superfore. Certe, multa his tribus amplectitur uerbis, nempe totum inuestigandæ ueritatis ordinem & processum.

Eodem ferè modo Vlpianus, l. j. ff. de iusti. & iur. Iuri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen iuris descendat. Est autem à iustitia appellatum. Iusto mediusfidiis libro uix compræhendi possent ea, quæ tam paucis proponit uerbis.

Quapropter figura quæ dicitur tractus, huc pertinet: cùm uerba ταραχήσ, hoc est, large, fusijs, & cum extensione accipiuntur. l. j. ff. unde legi. l. ij. §. fi. ff. quib. ex cau. in posse. catur. l. ratum autem. ff. de solutio. Paulus, l. & an eadem. ff. de excepc. rei. iudic. Idem corpus in hac exceptione, non utiq; omni pristina qualitate uel quantitate seruata, nulla adiectione diminutiōne facta, sed pinguis pro communi utilitate accipitur.

V. *ὑπερβολή* Hyperbole, auxesis, excessus, cùm plus dicitur quām sit. vt, Fortissimum argumentum. l. j. ff. de offi. eius cui mand. iest iurisdict. Evidentissime adparuit:

ruit: Cum satis tamen sit, indicijs adparere. l. si constante, in princip. ff. solut. matrimon. Vide l. j. ff. de hæredib. instituen.

V I. ἐγωνέα Ironia, Illusio: quando uerba menti contraria deridendo proferuntur. l. cum quidam. C. de legat. Maximam scilicet ostendens ad suum filium adfectionem, cui nihil quidem emolumenti reliquit: sed post exhaerationis iniuriā, etiam substitutionem ei addidit. Merito Iustinianus hunc tam stultum uel impium patrem deridet.

Paulus, l. Ofidius, ff. de legat. iij. Imperator interrogauit partem legatarij quærendi causa: pone (inquit) in condito centies aureorum esse, quę in usum sumi solerent. Diceres, totum quod esset relictum in arca, deberię Taxat autem auaritiam legatarij.

Iustinianus Nouell. Ut omnes prouin. Magist. obtempe. §. j. Const. lxvij. Ac cum ista homines efficiunt, prorsus in eam opinionem ueniunt, quasi perpetuā hanc potentiam obtenturi sint. Perpende hæc bone lector. Et adde l. obligationum substantia. §. f. ff. de actionib. ex obligat.

Reliquas figurarum species ut hic commemorem, non uidetur operæ pretium.

### FALLACIAE RERVM.

**Q**uandoquidem ex captione rerum perniciosissimae prodeunt argumentationes, etiam si in uerbis nihil uitij adpareat: ideo recte eas appellant fallacias extra dictiōnēm. Quia non uerborum in his structura, sed rerum ordo male cohærens repræhenditur.

Et sunt septem modi, quibus huiusmodi deceptions generaliter deteguntur.

Fallacia accidentis,

A' dicto secundum quid, ad simpliciter.

Secundum non causam, ut causam.

Fallacia consequentis.

Secundum plures propositiones.

Petitio principij. Ignoratio elenchi.

*Quanto autem magis nocere solent in humana societate res ipse, quam nuda uerba: tanto prudentius oportet cuitari uitia rerum, ne sub uerborum lenocinijs perniciem adferant. Quod perpetuo tene menti, Extant enim horrenda huius erroris exempla.*

### D E F A L L A C I A accidentis,

I. Hæc deceptio contingit, quoties accidentia, qualitates, seu circumstantiae rerum, personarum, loci, uel temporis in progressu disputationis uariantur.

#### E X E M P L U M.

Omnis locupletatio, cum alterius iactura, est fugienda. I. nam hoc natura, & l. penul. ff. de condic. indebit. l. iure naturæ. ff. de reg. iuris. l. illicitas. §. j. ff. de offic. præsid. l. cum hi quibus. §. sanè si is. ff. de transact. l. si quis mancipijs. §. Proculus ait. ff. de instito. a. c. l. rerum quidem, in fin. ff. rer. amota. c. suam, de pœnis.

Vſucapio locupletat cum alterius iactura: quoniam affert rem uero domino, & adiicit possessori. Ergo uſucapio est fugienda: idq; cōfirmari uidetur, per Iustinianū. Nouel. ut eccl. Ro. §. j. Const. x. Ne improba temporis allegatione se tueatur, tempus pro puritate prætendens.

Vitium

Vitium latet in accidentibus uariatis. Maior proposi-  
tio loquitur de iactura proximi illicita, quæ potest & de-  
bet euitari priuatim. Minor uero ponit iacturam, quæ pro-  
pter publicam utilitatem contingit, nec est propriæ iactura.  
l.j. ff. de usucapio. & l. fi. in prin. ff. pro suo.

Iustinianus autem temporis allegationem improbat, cum  
de mala fide tractatur detinentis rem ecclesiasticam, ut in  
d. §. j. Alioquin usucaptionem confirmat. Insti. de usucap. §. j.

## A L I V D.

Venient in hæreditatis petitione bona hæreditaria, &  
non hæreditaria, quæ defunctus tempore mortis habuit:  
Sed feudum defunctus cum moreretur habuit: Ergo feu-  
dum uenit in petitione hæreditatis. Item uidendum. §. fi. l.  
seq. ff. de petitio. hæred. Et ibi glos. Negatur. Quia maior  
respicit accidentia bonorum, quæ ex defuncti persona &  
arbitrio immediate transferuntur in hæredem. Minor au-  
tem pertinet ad accidentia beneficiarid, quæ ex pacto &  
lege non scripta dependent, ut Bartolus declarat in d. §. fi.

## A L I V D.

Omnium quæ in bonis sunt ususfructus legari potest:  
Iter, actus, uia, aquæductus sunt in bonis: Ergo actus, uiae,  
aquæductus ususfructus legari potest.

Fallacia est, propter uariata accidentia. Talis enim usus-  
fructus legatus, neq; ex bonis, neq; extra bona est. l. j. ff. de  
usu & usufruct. legat. Nascitur itaq; ex uariatis acci-  
dentialibus. Primum enim obstat axioma immutabile, Quia  
seruitus seruitutis esse nō potest, ut dicit Paulus, l. j. in  
princip. ff. de usu & usufruct. legat. Deinde, ususfructus,  
actus, uiae, uel aquæductus legatus, neq; ex bonis, neq; ex-  
tra bona propriæ dici potest. d. l. j.

Quid ergo fuerit? Temperanda res est, ut seruitus, actus,

uiæ, seu aquæductus constituatur sub cautione. Quemadmodum ferè propter utilitatem in pecunia numerata ususfructus admittitur per cautionem. Instit. de usufruct. §. constituitur autem.

Hinc uides quanto perniciosius uitium sit, si uerba Hæres, hæreditas, successio, in maiore propositione accipias, iuxta iuris autoritatem propriæ, & paulatim ex his inferas ad foemineam hæreditatem uel successionem, in materia beneficiaria præsertim individua. Quid enim hac uariatione accidentium, ex quibus totum dependet imperium, posset cogitari pestilentius?

Quamobrem Imperator noster Carolus V. Augustus, princeps optimus maximus: rectè iussit adseri pro iure suo anno M. D. X X X I X. axioma hoc. Quia secundum iuris dispositionem, maiora feuda non sequuntur regulas & normas minorum feudorum, sed sunt alterius conditionis & formæ, c. j. de feud marchi.

I I. Ex his quæ diuisim proponuntur, non potest rectè subsumi coniunctim, quando sunt diuersa accidentia. Vnde non immerito uocant Fallaciam sensus diuisi & compositi. Sæpe enim diuisa propositio est uera: quæ per compositionem falsa redditur. Et ex contrario. Ut, Colonus est hæres, & est tuus. Ergo est hæres tuus. Non sequitur. Potest enim diuisim esse uerum, quòd sit tuus colonus. l. omnes omnino. & l. originarios. C. de agric. & censit. Et quòd sit hæres alicuius defuncti, qui hæredem eum instituit. Sed nō est coniunctim uerum, quòd tuus sit hæres.

Initio uno naturali nomine homines appellabantur: Deinde iure gentium tria hominum genera esse cœperunt: ergo sunt quatuor genera. Sic colligit glo. in l. manumissiones. ff. de iusti. & iur. Respondeo: Ex accidentibus temporis

poris diuisim relatis: male infertur coniunctim. Sed conclude diuisim retenta temporis conditione, & erit bona argumentatio, hoc modo. Ergo olim fuit unum genus, nunc uero sunt tria hominum genera.

A' D I C T O   S E C V N D V M  
quid, ad dictum simpliciter.

**Q**Uando proponitur secundum quid, hoc est, secundum aliquam qualitatem, & subsumitur simpliciter. Aut, cum a particulariter dicto, infertur ad dictum uniuersaliter. Et incidit hoc uitium semper adfirmatiue inferendo.

## E X E M P L U M .

Maritus potest uxorem delinquentem emendare. l.j.C. de emend. propinquo. Ergo potest eam uerberibus atrociter adficere. Male infertur. Quia secundum quid licet emendare uxorē: non autem, paſſim in eam ſeuire. Nouel. de diuers. capit. §. si quis uero uxorem. Conſti. cxvij.

## A L I V D .

Iniquitas est improbata: In iudicijs multa definiuntur iniquē: Ergo iudicia sunt improbata.

Respondetur. Secundum quid, & de facto uariae iniquitates eueniunt ſæpe in iudicijs. Sed falſo inde simpliciter concluditur, quod iudicia ſint improbata. Imo ſunt ad executionem iuris & aequitatis introducta. l.penult. ff. de iusti. & iur. Relatione ſcilicet facta (inquit Paulus) non ad id, quod prætor ita fecit: sed ad illud, quod prætorem facere conuenit. l.penult. ff. de iusti. & iur. Et argu. l.ij. in princ. ff. quod quisq. iur.

## A L I V D .

Filiabus debetur legitima naturalis: Ergo debentur eis uniuersa bona parentum, etiam beneficiaria.

Non cohærent ista. Nam legitima, est pars bonorum: ex qua non recte colligitur ad uniuersa bona.tit.de his qui feud.dar.poss. §. Hoc autem notandum.

## A L I V D.

*Quidam magistratus sunt insigniter mali: Ergo omnes magistratus sunt eiſciendi.*

Fallax sequela à particulari, ad uniuersalem.l. ij. §. & cùm placuisseſſet. ff. de orig.iuris. Et ibi ſolet tractari.

I I. Nonnunquām ex ſimpliciter dicto, concluditur ad dictum ſecundum quid, negatiuē. Quod nonnulli recte uocant: Mutari quid in quale, uitio admodum improbando.

## E X E M P L U M.

Nulla foemina potest legem condere. l.ij. C. de leg. c. noua quædam. de pœnit. & remiſſionib. Et quæ ibi traduntur. Testamentum autem eſt lex. Nouell. de his qui nupti. iter. §. atq; hoc primum. Conſti. xxij. ergo foemina non po- tefc facere testamentum. Ecce uitium: In maiore accipi- tur Lex ſimpliciter pro communi præcepto. l. j. ff. de leg. In minore autem, ſecundum quid & metaphoricōs intelli- gitur lex, pro firma uoluntate testatoris.

I I I. Ad hanc fallaciam pertinenſt hyperbolæ, id eſt, ſuperlationes ſeu excessus loquendi, quæ frequenter in- cidunt. Ut, cùm lex requirit teſtes omni exceptione maiores. Non enim tales accipiendoſi ſunt, quorum dicta non poſſint eleuari, ſi nihil faciant ad cauſam. Sed ſatis eſt, homines cenſeri integræ uitæ & fidei. l. optimam. in fin. C. de contrah. & commit. ſtip. c. j. de confang. & adfin. Instit. de inutil. ſtip. §. item uerborum. Vbi uocantur teſtes idonei.

Rectissimè igitur tradi ſolet regula: quod propositio- num & illationum uerba, non ſimpliciter, ſed ſecundum aliquam iuris interpretationem attemperanda ſunt: ut

haec

**hæc deceptio evitetur.** l.j. §. si quis simpliciter. ff. de uerbo. oblig. l.hoc legatum uxoris. ff. de legat. iij. l.Titiæ textores, in princ. ff. de legat. j.

### SECUNDVM NON CAV- sam, ut causam.

**Q**uoties per ignorantiam uel fraudem allegatur prætextus causæ, quæ tamen non est causa: toties admittitur hæc fallacia latè patens, & omnium perniciössima. Sicut enim uera causa, præstat ueram rei ac negotijs cuiuslibet cognitionem, uel ordinationē politicam: ita falsa causa, meras effundit tenebras, & dissipat humanam societatem. Ut, Iurisperiti in Scholis profitentur, & in foro exercent fomenta litium protrahendarum: Ergo iuris studium producit lites. Falsissima est illatio. Studiū enim iuris non est causa litigandi, multò minus differendarum controversiarum: sed est ars ex bono & æquo dirimendæ cuiuslibet litis. l.j. in princ. ff. de iustit. & iur. l. quidam. ff. si cert. petat. l. ij. in princ. ff. de aqua plu. arcend. Nouell. ut cleric. apud propri. episcop. §. si tamē de criminibus. Constit. lxxxij. c. nonnulli. §. cùm autē de rescript. Cle. dispensiosam. de iudic. Exempla quoq; sunt huc referēda Adulatorum, Sycophantarum, & Impostorum: qui speciosas quidem, sed re ipsa falsas obtrudunt causas eorum, quæ dicunt, suadēt, inculcant. Hæc autē quotidiana suggestit experientia, ne sit opus cōmemorare. Sunt enim ualde odiosa.

### DE FALLACIA CON- sequentis.

**P**otest hæc deceptio bifariam considerari. Generaliter: quandocunq; enim connexio propositionum discrepat propter rerum confusionem, non potest firma esse consequentia.

quentia. Specialiter uero: cum in membris propositionum per se expensis non est uitium, sed inanis tamen colligitur sequela. Ut, si ex puris adfirmatiuis, aut ex puris negatiuis, aut ex signis seu conjecturis non perpetuis inferatur. Ut, Magistratus est, Ergo iudex est. Hæres est, Ergo beneficiarius hæres est. Est hæres, Ergo uniuersalis est hæres. Bart. in l. centurio. ff. de uulgar. & pupill. substit. in quæst. ij. Conuentio est, Ergo publica conuentio est. Inuallidæ sunt consequentiæ, propter adffirmationem à superiori ad inferius. Alioquin per se nihil habent uitij.

Non est iudex, Ergo neq; magistratus est. Non est beneficiarius hæres, Ergo non est hæres. Non est publica conuentio, Ergo non est conuentio. Vanæ sunt illationes, propter negationē ab inferiori ad superius. l. hæreditatis. ff. de uerb. signifi. l. hæreditas, in princ. ff. de petit. hæred.

### S E C V N D V M P L V R E S propositiones.

**I**N omni causa seu propositione defendēda, diuersæ quæri solent rationes: quarum aliæ ueræ, aliæ falsoe, uel saltem aliæ alijs firmiores sunt. Nullum item negotium est tam simplex, cui non insint multæ partes, aliæ alijs plausibiliores: quædam interdum odiose. Iam ubi in delectu fundamentorum erratur, aut astutè dissimulatis ueris & plausibilibus, falsa & amara eliguntur: ibi ad fallendum secundū plures propositiones detegitur cauillatio. Exempli gratia: Si filia principis alicuius petat hæreditatem: ad quam per sectionem alleget multas uulgares regulas: puta, petitionem hæreditatis actionem esse uniuersalem. Omnia item sub ea comprehendi, siue iura, siue corpora, hæreditaria, & non hæreditaria. In omnibus præterea à defunct

defuncto posse<sup>s</sup>is habere se fundatam intentionem, nisi contrariū probetur, & cæteras id genus. l. regulariter. & l. seq. l. item uidendum. §. fi. & l. seq. ff. de petit. hæred. tit. si de feud. defun. conten. sit inter dom. & agn. §. inter filiam. Denique contra naturam uideri, filias à paternis excludi fortunis. l. maximum. C. de liber. præt.

Fallacia sub his latet longe maxima. Nam uera huius disceptationis principia omittuntur & dissimulantur. Primum, comparationē inter regalia, & uulgaria bona à defuncto relictā non tenere. tit. de prohib. feud. alie. §. præterea. Deinde, differentiam esse inter personas publicas, & priuatas: quarum permixtione perassim admissa, actum esse de toto iure. l. j. §. huius studij. ff. de iustit. & iur. Tum etiā, petitionem hæreditatis nemini propriè cōpetere, nisi hæreditas ad eum ueterē iure, aut nouo propriè pertineat. l. j. & l. iiij. in fi. ff. de petit. hæred. Postremò, successionem uulgarem, præsertim fœmineam, non obtinere locum in beneficijs regalibus. tit. de success. feud. §. hoc quoque obseruatur. de nat. success. feud. & de success. fratr. item, titul. de alien. feud. in fi. & tit. seq.

En, quām splendide propositiones præcedunt, quæ tamē cūm ad ueram iuris & æquitatis rationem exigūtur, fallaciam habent hanc, secundum plures propositiones.

### PETITIO PRINCIPII.

I. Cum incertas propositiones per ea quæ non minus sunt incerta confirmare conamur, ineptissima fit collectio, nihil probationis adferens. Nam eadem ambiguitas principio proposita, repetitur multiplicaturque. Ut, si quis adserat, solennem consultandi formulam, adhibitis pluribus ætate ac prudentia claris contemnendam esse. Quia multi

multi hodie, uel raro, uel nunquam consultant.

Certè, confirmatio incertior est multò, quām ipsa assertio : Errantium enim multitudo non parit errori patrocinium, ut Hieronymus recte dicit. Quod autem omnes omnium sacerdolorum errauerint qui consultationes contemplaverunt, exemplis monstratur infinitis. Porro unicum & præsentissimum aduersus humanam fragilitatem & cognatam cæcitatem remedium est consultatio, ante scilicet, non post factum adhibita.

Vlpianus quoq; quotidianum dat exemplum de prædone petente principium. ff. de petit. hæred. Qui interrogatus, cur possideat, responsurus sit, quia possideo : nec contendit se hæredem, uel per mendacium: nec ullam causam possessionis potest dicere.

II. Huic admodum uicina est ταῦτολογία : cum idem subinde repetitur ijsdem uerbis, aut paululum mutatis. Ideoq; uulgò Nugationem non ab re uocant, & cuculi canticum, seu κοκκύζειν. Et differt ταῦτολογία ab amplificatione, sicut interpretatio à confirmatione. Cum enim res intricatior fuerit explicanda, uel utilis persuadenda: prodest eandem sententiam saepius inculcare mutatis uerbis, ut auditor in cogitatione eius tantisper detineatur, donec plenè capiat. At ubi confirmandum aliquid fuerit, seu demonstrandum, ne quis de ueritate eius dubitet : ibi cause exiguntur diuersæ ab eo quod proponitur, & illustres, nec prodest repetitio.

### I G N O R A T I O E L E N C H I .

**C**ommuniſsimus titulus est omnium argumentationum, quibus aliquid deest. Elenchus enim significat firmam & sinceram probationem. Vnde ignoratio elenchi

chi, accipitur pro infirma & subdola argumentatione.

Proinde, ad infringendum quodlibet argumentum uitiosum, recte potest ex hoc generalissimo capite responderi: ignorationem esse Elenchi, hoc est, infirmam probationem, etiamsi speciale cauillationis seu fallaciæ nomen non occurrat. Sunt enim variæ ac propemodum infinitæ argumentiarum tendiculae. Quo fermè modo, cum deficiunt usitata actionum nomina, præscriptis uerbis agendum est. l.ij. & l.seq. ff. de præscr. uerb. & qui de titulo possidendi non statim potest respōdere, is recte dicit se Pro suo possidere. Nā & cū omni alio tit. concurrit. l.j. & l.ij. ff. pro suo.

Plus cautionis in rem est, quam in personam. ff. de reg. iuris. Ergo qui habet actionem, non uidetur habere rem ipsam. Contra l. qui habet. ff. eod. tit. Ignoratio Elenchi est, que tollitur per explicationem dissimilium casuum.

Generatim hoc quoq; erit adiiciendum: quod argumentatio quæ complectitur impossibile, semper censetur uitiosa. Vlpianus, l.ij. ff. de liber. & posthum. hæredib. instit. Quemadmodum si ita cū exhæredauerit, Q V I S  
Q'VIS MIHI HAERES ERIT, FILIVS  
EX HAERES ESTO. Nam (ut Iulianus scribit) huiusmodi exhæredatio uitiosa est: quoniam post aditam hæreditatem uoluit eum submoueri: quod est impossibile. Porrò impossibilitas iure diuino atque humano uitiat omnia: & propterea Marcellus uniuersaliter dicit, Impossibilium nulla obligatio est.

Paria sunt re ipsa, Nullam obligationem esse: & vitiosam esse. Maius enim uitium cogitari non potest, quam uelle aliquid publicè aut priuatim fieri quod impossibile sit. Siquidē hoc cū Diuina pugnat Omnipotētia et Maiestate.

DE INFRACTIONIBVS, VEL  
solutionibus argumentorum  
communibvs.

**Q**uemadmodum generaliter diximus de uitiosis argumentationibus; ita modos aliquot soluendæ rationicationis, in genere tractabimus: ut spero, non sine magno studiosorum & totius reipublicæ fructu ac utilitate. Nam superius circa singulas topicorum seu locorum species, uidimus quando argumentationes inde ductæ non procedant. Nunc generaliter tractamus, quomodo uitiosa argumenta liceat eleuare.

Sunt autem tres eleuandorum argumentorum modi communes. Inficiatio, Distinctio, Instantia.

DE INFICIATIONE.

**I**nficiacione utimur, quando simpliciter negamus propositionis materiam uelut falsam. Aut cum ipsa argumenti forma minimè cohæret. Quomodo autem utrumque sit demonstrandum, ex suprà dictis satis (ut opinor) adparabit lectori.

DE DISTINCTIONE.

**D**istinctio adhibenda est, cum ambiguitas inde nascitur, quod specierum aut prætermissa, aut non sufficenter explicata est tractatio. Et omnis definitio seu generalitas in iure periculosa est, & confusione parit. I. omnis definitio. ff. de reg. iuris. Illud itaq; necessarium distinctionis officium est, ut diuersas in iure sententias à contradictione seruet, ac suo quanque ordini tribuat. Quod cum facit, consequenter errati uel calumnianti aduersario omnē admittit occasionem disputandi, & argumēta eius dissoluit.

Sic Vlpianus soluit argumenta Labeonis & Octaueni.  
Item uidendum, in princ. Paulus, l. illud quod, in princip.  
ff. de petit. hæred.

Callistratus, l. nauis onustæ. §. cùm autē. ff. ad leg. Rhod.  
de iact. & Bartolus quidcm inter omnes iuris commētato-  
res, princeps dicitur in distinguendis factorū speciebus, ex  
quibus potest diuersitas iuris faciliter discerni conciliariqz.

Interim tamen diligenter curādum est, ne perperam se-  
parentur cohærentia, aut natura sui simplicia. Quantum  
enim prodesse solet distinctio in diuersitatibus rerum: tan-  
tum ex diuerso nocere potest impertinens distinctio. Mo-  
destinus, l. rem legatam, ff. de adimen. uel transferen. legat.  
Hæc enim distinctio in donantis munificentiam  
non cadit: cùm nemo in necessitatibus liberalis  
existat. Paulus, l. Pomponius. libro tricesimo septimo. in  
fi. ff. de rei vind. Quæ distinctio, neqz in hæreditatis  
petitione, locum habet.

Quemadmodum autem argumentorum formulæ su-  
pradicte possunt infringi aut solui per inficiationem &  
distinctionem: ita etiam actiones forenses bifariam eleuan-  
tur: scilicet, aut negando intentionem actoris, aut exci-  
piendo aduersus eam. Siquidem editio actionum solet di-  
stingui in tres partes, ad instar Syllogismi ex scripto per  
libellum, aut ex non scripto. Maior demonstrat ius per-  
sequendi, licet plerunqz soleat omitti. Minor, siue simili-  
citer, siue per positiones & articulos exponit facti seriem,  
ex qua procedit actio. Conclusio uel petitio infertur ex  
præcedentibus, secundum quam petitur reus condemnari.  
Iam qui confidit actorem nihil probaturum, is pla-  
nè inficiatur. Qui uero agnoscit actorem uerum dice-  
re, non tamen in ea specie aduersus reum conuentum  
habere

*habere ius : is exceptionem opponit , et in effectu distinguuntur secundum praxim. I. si quidem C. de except.*

## D E I N S T A N T I A .

**I**Nstantia diluuntur argumēta, quoties in defectum perspicuæ rationis opponuntur exempla illustria, quæ non modicam uim habent in constituendis moribus hominum.

De hoc in loco ab exemplis dictum est. Vel, cum propositione aduersarij concessa, fortior opponitur ratio. Ut Julianus, in l. si ita vulneratus. ff. ad leg. Aquil. Quod si quis absurdè à nobis hæc constitui putauerit : cogitet longè absurdius cōstitui, neutrum lege Aquilia teneri, aut alterum potius : cum neq; impunita maleficia esse oporteat , nec facile constitui possit, uter potius lege teneatur.

# R E G V L A E P R A E-

## S U M P T I O N V M , S E V C O N-

iecturarum, ad praxim  
utiles.



Vm locum à conjectura seu præsumptione superius succinctè tractarim: ne formam aliorum locorum excedens, negotium facerem lectori : ideo nunc in gratiam studiosorum adjicere malui omnes fermenta præsumptionum species iure nostro receptas, quibus causæ in foro apud iudicem disceptatæ, mirum in modum possunt iuuari. Existimo sanè huiusmodi rerum quotidianarum exercitamenta, tyronibus iustitiæ admodum profutura. Eodem consil

consilio, de probationibus uniuersis, quandoquidem fontes superiore tractatione diligenter indicaui, unde eas mutuari oporteat: regulas duxi ad iudicandas, quibus tota praxis iudicaria posset absoluui: scilicet, quando, & a quo praestandae sint in disceptationibus causarum probationes. Negi enim mediocre commodum est scire: quando actor, & quando reus probandi onus subire debeat.

I. Præsumere, quasi ante sumere, alias usurpatur pro audere, uel tentare aliquid contra ius: ut ferè Pontifices Romani eo uerbo utuntur. Alex. and. iij. ex concilio Lateranensi, loquens de clericis & monachis: Sed nec procuratores (inquit) villarum, aut iurisdictiones etiam sacerulares sub aliquibus principibus & sacerularibus uiris, ut iustitiarius eius fiat, clericorum quisque exercere præsumat, hoc est, tentet, audeat. c. sed nec. Ne cler. uel monach. secula. negoti. se immisce. ij. Timo. ij.

Alias præsumere, accipitur pro nudo factio prius aliquid sumendi. Vnde Plinius lib. xxxvij. tradit de farina cuiusdam lapidis, in certamine bibendi aduersus ebrietatem a potatoribus præsumenda: allegans Theophrastum autorem.

Alias significat Præoccupare apud Rhetores, qui præsumptionem uocant: cum id quod in aduersarij causa, uel in iudicis opinione contrarium nobis esse aut fore arbitramur, præoccupamus dicendo, ac bonis rationibus dissolendo Quintilianus lib. ix. Mirè uero in causis ualeat præsumptio, que τροπή ληστις dicitur: cum id quod obici potest occupamus, quæ præcipue proœmio conuenit.

Alias, pro putatur, in l. Vulgo. ff. de in lit. iuran. Vulgo præsumitur (inquit Vlpianus) alium in litem non debere iurare, quam dominum litis.

Aliás deniq; præsumere accipitur pro præfagire, coniūcere, cogitare, seu diuinare aliquid in dubio. Valerius lib. j. c. v. Eq; fortuito dicto quasi certam spem clarissimi triumphi animo præsumpsit. Et c. vij. Præsumpsit animo, ea res significari exitum suum. Hoc est coniecit, uaticinatus est.

Hoc autem modo, in sequentibus exemplis accipienda est præsumptio, quam sic describemus.

I I. Præsumptio est conieclura, seu diuinatio in rebus dubijs, collecta ex argumentis uel iudicijs per rerum circunstantias frequenter euidentibus. Huius definitionis insigne exemplum est iudicij Salomonis sapientissimi regis. iij. Reg. iii. Quod refertur in c. ij. de præsumptio.

I II. Præumptionum alia maior, alia minor est, iuxta coniecturas, quæ non æquè omnes ad naturæ dictamen accedunt. Vnde commentatores dicere solent, quasdam esse præumptiones iuris, quasdam iuris & de iure. Quasi uero uerba iuris & de iure, multum distent. Eiusdem fari næ est diuisio, secundum quam adserunt: præumptiones aliás esse uehementes, aliás violentas, quasdam necessarias: Violentum pro Certo, accipientes c. literis. De præsumptio.

I III. Præumptionem non oportet ex priuato cuiuslibet affectu metiri: sed ex cōmuni rationis dictamine. Nam quod probabiliter non uidetur credibile, id certe nullam admittit coniecturam. l. cùm de indebito. ff. de prob.

V. Præsumptio nulla profusa est demittenda ex delationibus eorum, qui sine charitate diffamant proximum suum. Sæpe enim emuli suggillant nomen bonorum uiorum. c. cùm in iuuentu de præumptionib.

V I. Nemo præsumitur immemor suæ salutis. j. q. viij. c. sanctimus.

VII. Præsumptio nonnunquam habetur pro certa probatione: scilicet, cum lege id nominatio declaratur. l. quicunque. C. de epoch. public.

VIII. Præsumptio interdum tam magnis constat argumentis: ut probatio aduersus eam non audiatur. l. qui adulterij. C. ad leg. Iul. de adult. c. literis. de præsump.

IX. Præsumptiones multæ circa eandem rem, uchementius urgent, quam una. l. excus. intur. in princ. ff. de excusatio. tuto.

X. Præsumptio confirmat uel diminuit dicta testiū. l. iij. in prin. ff. de testib. Callistratus: Testium fides diligenter examinanda est, ideoq; in persona eorum exploranda erunt. In primis cōditio cuiusq;: utrum quis decurio, an plebeius sit: & an honestæ & inculpatæ uite, an uero quis notatus & repræhensibilis: an locuples, uel egens sit, ut lucri causa quid facile admittat: uel an ei iniurucus sit, aduersus quem testimonium fert: uel amicus ei pro quo testimonium dat.

XI. Præsumptio in cognitionibus causarum, ex multis circumstantijs colligendi est. Ut in procēsio instit. Quorum omnium solertiam, & legum scientiam, & circa nostras iussiones fidem, iam ex multis rerum argumentis accepimus. L. iij. §. eiusdem quoq; principis. ff. de testib. Quæ argumenta ( inquit Callistratus ) ad quem modum probandæ cuiq; rei sufficiant: nullo certo modo satis desiri potest. Sicut non semper, ita sepe sine publicis monumentis cuiusque rei ueritas depræhenditur: alias numerus testium, alias dignitas & autoritas, alias ueluti consentiens fama cōfirmat rei de qua queritur fidem. Hoc ergo solum tibi scribere possum summatim: non utiq; ad unam probationis speciem cognitionem statim alligari debere, sed ex sententia animi tui te existimare oportere, quid aut credas,

aut parum probatum tibi opineris.

XII. Præsumitur in qualibet causa id, quod frequenter accidere solet: nisi diuersum probetur. l. neq; natales. C. de probationib. l. neq; sine nuptijs. C. de nupt. l. certi condic̄tio. §. si nummos. ff. si cert. petat. l. penulti. C. de iudi. c. j. de cleric. non residentib.

XIII. Præsumptio nonnunquam censetur liquidissima probatio ac manifesta. l. ita demum. in fi. C. de procurato. l. manifestæ. ff. de iureiur.

XIV. Præsumptio transfert onus probandi in aduersarium. l. fi. in princ. ff. quod met. caus. l. omnimodo. C. de inoffic. testam. l. siue possidetis. C. de probat.

XV. Præumptionem Lex potest ob causam introducere, ubi nulla esse uidetur. l. j. §. rei uxoriæ. C. de rei uxo. actio. l. j. et ij. l. C. de testamen.

XVI. Duriore probatione grauatur is, aduersus quem urget præsumptio. c. quia uerisimile de præsumptio.

XVII. Præsumptio trifariam transfertur de tempore in tempus: Videlicet, Ex præterito in præsens. Instit. in proœmio, uersic, quorum omnium solertiam. Ex præsenti, in præteritum. l. si quis adulterium. §. j. ff. ad leg. l. uili. de adult. Ex præterito in futurum. c. mandata. et c. quanto. de præumptionibus. Ex præsenti, in præsens. Quod est regulare, vj. q. j. c. qui crimen.

XVIII. Præsumptio, non semper est uera probatio. l. iij. C. de fide instrum. et iur, hast, fisc. ibi: Quibus cunq; tamen probationibus. l. Lucius Titius. ff. de cond. et demonstrat. l. absentem. ff. de pœn. Sed nec de suspensionibus deberi aliquem damnari.

XIX. Præsentia eius, qui per rerum naturam non potest intelligere quid agatur, nullam facit præsumptionem.

nem.l.s.in fi.ff.de autori. & consens.tuto.l.coram Titio.ff.  
de uerb.signific.l.j. §.initium.ff.de postul.

**X X.** In re non uerisimili, nullis datur locus cōiectu-  
ris.l.fi.C.de hære.insti.Vbi est exemplū de eo, qui in nomi-  
ne suo dicebatur errasse, quis enim nesciat propriū nomen?

**X X I.** Præsumptio neminem iuuat, nisi allegetur  
apud iudicem, qui circumstantiam eius plerunq; non potest  
diuinare.l si adulterium. §.idem Polioni.ff.ad leg.Iulia.de  
adul.l.rem alienam.ff.de pign.act. Alioquin, si constat iudi-  
ci legitima præsumptio ex actis, uel alio modo, sequi eam  
debet.l.j.in fi.C.de his quæ pœn.no.in test.

**X X I I.** Præsumptio specialis, tollit generalem.l.  
cūm de indebito,in prin.ff.de probat.l.fi.ff.de hæredib.in-  
stituend.l.diuis Antoninus. ff.de in integ.restit.

**X X I I I.** Præsens non præsumitur cōsentire, quando  
detrimentū eius in directō tractatur.l.Caius Scius.de pig.act.

**X X I I I I.** Præsumptio malæfidei non admittitur  
post triginta annos.l.ulti.in fi.C.unde ui.

**X X V.** Qui tacet non præsumitur consentire  
quando lex non exigit contradictionem, uel quia nihil ef-  
ficeretur contradicendo, uel quòd ipsum sibi factum satis  
repugnat.l.rem alienam.ff.de contrah.empt.l.in uitium.ff.de  
seruit.urba.præd.l qui uas. §.uetare ff. de furt.l.sicut re. §.  
non uidetur.ff.quib.mod.pig.uel hyp.sol.

**X X V I.** Præsumptioni possunt apertissimæ pro-  
bationes apponi.l.ulti.ff.quod met.caus.

**X X V I I.** Si debitor soluat creditori suo, non præ-  
sumitur inde quòd creditor ille nihil debeat soluenti.Potest  
enim ex alia causa debitor soluentis esse.l. si cūm das, in  
princ.ff.rer.amota.

**X X V I I I.** Quod uerbis scripti non iuuatur, id  
r 3 diuin

diuinando minime gentium potest extra scripturam conjecturis adseri. l. quæcunq; §. si. ff. de publicia. Qui à pupillo emit, probare debet tuteore autore, & lege non prohibente, se emisse, ait Caius. Nam etiam si scriptum habeat uerbum Emptio: non tamen per hoc significatur autoritas uel ius emendi.

**X X I X.** Imperfectio scriptorum, arguit imperfectionem conuentionis. Insti. de empt. & uendi. § j l. contratus. C. de fid. instru. Ratio est. Quia sicut consensus presumitur ex scripto plane absoluto: ita scriptum imperfectum merito facit coniecturam dissensus. l. ex hac scriptura. ff. de donat. Nouell. ut si plures filij non sint. §. studium uero. Constit. xvij.

**X X X.** Cum scriptum facit mentionem alicuius rei, quæ tempore illius scripti principaliter non tractabatur: tunc nulla presumptione nascitur ad probationem. Ut si instrumentum facit obiter mentionem alterius instrumenti, Nouell. de donat. prop. nupt. §. Insuper & hoc præcipimus. Constit. cxix.

**X X X I.** Præsumptioni recte opponitur probatio ueritatis: modò tamen id in eodem genere fiat. Nam aduersus coniecturam ex scripto, probari oportet alia scriptura. Alioquin simplicem præsumptionem, simplex testimoniū probatio tollit. L optimam. in fi. C. de contrah. stipul. l. j. C. de fid. instrum. & iur. hastæ fiska. iunct. l. generaliter. C. de non nume. pec.

**X X X I I.** Ius singulare ac illius solēnitas nō præsumitur in ijs, qui uerisimiliter ignorat. Itaq; si instrumento scribatur minorem xxv. annis contraxisse, aut mulierem fideiussisse pro alio, non præsumitur minor iurasse, iuxta Constit. sacramenta puberum. C. si aduers. uenditio. Neque conij

conijicitur mulicrem renuntiisse beneficio senatus consulti  
Velleiani, iuxta l. iubemus licere. C. ad senatus con. Velleia.  
Nisi scriptum quoque et uerum sit minorem iurasse, aut  
mulierem renuntiisse admonitam prius talis beneficij  
quidnam esset.

**X X X I I .** Minor et mulier non presumuntur  
sive ius priuilegium sibi competens: nisi admoncantur ex-  
presse: quia etatis et sexus infirmitas ingerit eis quan-  
dam infirmitatem, infirmitas ignorantiam. l. regula est. in  
prin. ff. de iuris et facti ignor.

**X X X I I I .** Si minor uel mulier iurauerit stare  
conuentioni nulla renuntiatione facta, presumitur igno-  
rassse beneficium, seu priuilegium sibi competens. Et con-  
sequenter, quia censemur ignorare ius suum, ergo conjectu-  
ra est eam nihil cogitasse de renuntiatione. l. mater dece-  
dens. ff. de inoffic. testam. Nec facit contra iuramentum si  
minor petat restitutionem in integrum, uel mulier alleget  
priuilegium velleianum, in quibus id potuisse casibus non  
dato iure iurando, quia iuramentum non porrigitur ad igno-  
rata. l. fi. ff. qui satisda. cog. l. fi. in prin. ff. ad nuncip. l. fin.  
C. de non num. pec. Quanquam hodie obstaret. d. Constit.  
Sacramenta puberum.

**X X X V .** Si instrumentum habeat, testes fuisse  
presentes, non tamen presumuntur rogati, nisi id quoque  
fuerit adiectum. l. haeredes palam. §. in testamentis. ff. qui  
testa. facer. poss.

**X X X V I .** In casu quo allegatio intestati iure com-  
muni non procedit, oportet probare eum qui adserit intesta-  
tum decesse, quia non presumitur. l. si emancipati. C.  
de collationi. Quia non presumitur aliquis intestato mor-  
tuus, nisi probetur.

**X X X V I I.** Cum iure communi prodest allegatio intestati, tunc regulariter non incumbit onus probandi aliquem decessisse ab intestato, quoniam præsumitur intestato mortuus, non probato testamento, argum. l. cum de lege ff. de probationib. Ita potest intelligi Bartol. in l. it potest ff. de adquir. hæred.

**X X X V I I I.** Fecisse aliquem testamentum, aut pactionem, non præsumitur: quoniam utrumque est facti: & regulariter eiusmodi facta non præsumuntur, sed probanda sunt. l. in bello. §. factæ autem. ff. de postlimi. l. intestatus. ff. de uerb. signifi. Instit. de hæreditat. quæ ab intest. deferunt. §. j.

**X X X I X.** Vbi consuetudo extat, quod coniugi sine liberis ab intestato defuncto, coniunx superstes succedat, exclusis cognatis in omnibus bonis: ibi coniugem uolentem succedere oportet probare & consuetudinem & causam intestati: quoniam iuri communi repelleretur per cognatos à successione uniuersorum bonorum. l. si emancipati. C. de collatio. iunct. l. penul. §. docere. Ne quis cum qui in ius uocat. est.

**X L.** Præsumptio sola non efficit, ut in accusacione grauis delicti procedatur ad condemnationem. eo. tit. c. literas.

**X L I.** Præsumitur mentiri is, qui uariat sine causa adsertionem suam in iudicio, uel extra iudicium. Ibid.

**X L I I.** Præsumptio malefidei non potest allegari post quadraginta annos. l. fi. C. unde ui.

**X L I I I.** Præsumptionem metus, uel doli mali tollit præsentia amicorum. l. transactionem. C. de transact.

**X L I I I I.** Præsumitur quilibet tam hæredibus suis, quam sibi ipsi cauisse. l. si pactū. ff. de prob. Et ideo prudenter

tissimi legislatores, ut ansam ad hoc præberent, admiserunt & stipulatoris & hæreditis personam in conuentionibus nominatim comprehendere: sicut quotidie uidemus fieri in literis. Vlpianus, in l. stipulatio ista habere. ff. de uerb. oblig. Sue personæ (inquit) adiungere quis hæreditis personam potest.

**X L V.** Quæ fiunt in officio: ea præsumuntur facta esse ratione officij, tit. de feud. guard. & castal. §. si uerò. l. j. §. his igitur. ff. de postuland.

**X L VI.** Præsumitur dolus nocendi in eo qui clam aliquid mali facit, nec ulla admittitur eius excusatio. vt, si quis in domo amici contrectans res depræhendatur, & is dicat se ioco fecisse, Salomon in parabol. capit. xxvj. c. j. de præsumptionib. Sicut noxius est qui mittit lanceas & sagittas in mortem: ita uir qui fraudulenter nocet amico suo: & cum fuerit depræhensus, dicit, Ludens feci. distinct. l. j. c. si quis post acceptum. & de poenitent. distinct. j. c. si quis cum telo. l. is qui cum cultello. ff. ad leg. Cornel. de sicar. l. nam ludus. ff. ad leg. Aquil.

**X L V I I.** Præsumitur malam habere litem, qui dilationes postulat non necessaria. c. nullus. de præsupt. Bonifacius. Confitetur enim de omnibus quisquis se subterfugere iudicium dilationis putat. xj. q. j. c. Christianus. iiij. q. ix. c. decernimus. & lx xiiij. distinct. c. Honoratus.

**X L V I I I.** Ex conjectura non propriè scriptus uidetur ille, cuius nomen ita deletum est, ut penitus legi non possit. l. j. ff. si tabul testamen. extab.

**X L I X.** Præsumptio colligi potest ex habitu personæ, qualis sit. l. moueor. C. si s. ruum exportand. uene.

**L.** Præsumitur pro iudice, & pro tabellione. l. j. c. de offic. iudic.

L I. Præsumitur actum esse inter contrahentes id, quod est ex natura contractus & consuetum. l. cùm quid. ff. si cert. pet. l semper in slip. in princ. ff. de reg. iur.

L II. Præsumitur testatorem ibi uoluisse solui legata, ubi domicilia habent legatarij: etiam si maior pars hæreditatis in alio loco sit. l. sed e& si suscepit. ff. de iudic. Nec enim ( ait Vlpianus ) uerisimile est testatorem, qui honorem habitum uoluit his, quibus recliquit, tam modica fideicommissa in prouincia præstari noluisse.

L III. Præsumitur, legem nolle nimis anxie requiri id, quod ipsa non expressit. l. de pretio. ff. de publicia.

L IIII. Contractus præsumitur simulatus inter patrem & filium. l. qui testamentum. ff. de probat. Videri enim ( inquit Scæuola ) eo quod ille plus capere non poterat, in fraude Legis hoc in testamento adiecisse.

L V. Inter uirum item & uxorem. l. si quis donationis. ff. de contrahen. empt. l. j. l. si sponsus sponsæ. §. circa uenditionem. ff. de donat. inter uir. & uxor.

L VI. Emptio quam tutor per interpositam personam fecit, præsumitur fraudulenta. l. pupillus obligari. §. sed si per interpositam. ff. de autor. & consen. tuto.

L VII. Cessio inter extraneos facta, non caret suffiptione simulationis. l. per diuersas. & l. seq. C. mandat.

L VIII. Cum in cōtrouersiam uenit, unde ad mulierem quid peruererit: & uerius & honestius est, quod non demonstrat, unde habeat: aestimari à uiro, aut qui in potestate eius esset, ad eam peruenisse, ait. Pomponius, in l. Quintus Mutius. ff. de donat. inter uir. & ux. l. etiam. C. eod. tit. Doctores idem adserunt de quolibet administratore. c. j. de pecul. cler. xij. q. iiij. c. j.

L IX. Ignorantia præsumitur, nisi probetur scientia.

tia. l. uerius. ff. de probat. l. si legibus. C. de Episcop. andien.  
l. super seruis. C. qui militar. poss. uel non. c. præsumitur. de  
reg. iur. lib. vij.

L X. Qui semel fuit bonus, is semper talis præsumi-  
tur. l. non omnes. §. à Barbaris. ff. de re milita. l. longi tem-  
poris. C. de præscript. longi temp.

L X I. Semel malus, semper in eodem genere delicti  
præsumitur malus. Nam ex præterita hominis uita que  
non facile solet mutari, Lex dicit coniecturam ad præsen-  
tem & futuram. d. §. à Barbaris. c. semel malus. de reg. iur.  
lib. vij. l. si cui crimen. §. ijsdem. ff. de accusatio. l. iiij. §. item  
erit querendum. ff. de suspect. tutor.

L X I I. Publicanorum, hoc est, eorum qui publica  
uectigalia habent conducta, insignis creditur esse audacia  
& temeritas ad expilandam factiose pecuniam. l. quantæ  
audaciæ. ff. de publica. & uectigal.

L X I I I. Viuere creditur, cuius mors non fuerit  
probata. l. sed si mors. ff. de donat. inter uir. & uxor. ibi:  
Quia & mors eius expectanda est. l. nec nos præteriit. C.  
de postlimini. l. uxor quæ. C. de repud. Nouell. de diuers.  
capitul. §. cæterum & id constit. cxvij.

L X I I I I. Sana mens in homine præsumitur. l. nec  
codicillos. C. de codicil. Ad seuerationi tux, (inquiunt Dio-  
cletianus & Maximianus) mentis cum compotem fuisse  
negantis, fidem adesse probari conuenit.

L X V. Voluntas libera censetur, nisi probato me-  
tu adpareat diuersum. l. ij. C. de his quæ ut metus. caus.

L X VI. Ambiens officium, reputatur planè in-  
dignus. l. si quenquam. C. de episcop. & cleric. Profecto  
enim (inquiunt Leo & Anthemius) indignus est sacerdo-  
tio, nisi fuerit ordinatus inuitus. Quotum igitur hodie  
ccnsib

censebimus sacrificulum officio dignum?

L X V I I . Falsarius existimatur, qui scripturam in iudicio profert suspectam: nisi adprobauerit eius ueritatem. l. pen. C. de probationib.

L X V I I I . Miles non est credendus in aliud pecuniam mutuo accipere, quam in causas castrenses. Et in hoe filiis familiarum milites non absimiles uidentur hominibus sui iuris. l. ulti. in fi. C. ad Senatusc. Macedoni.

L X I X . Pater uel mater soluto semel matrimonio; non iterans nuptias, adquirit etiam extantibus liberis suis ex eodem coniugio, non solum usumfructum, uerum etiam proprietatem prioris lucri dotalis proportione unius filij. Si tamen non alienauerit eandem proportionem: præsumitur eam liberis æqualiter diuidendam, uelut paterna bona, reliquise. l. si quis prioris. § j. C. de secūd. nupt. Nouell. de his, qui nupt. iter. §. quoniam uero mulieres. & §. seq. Constit. xxij.

L X X . Frater relinquens fratri bona, quæ in paganico habebat: præsumitur uoluisse illi relinquere res castrenses. l. j. C. de testament. milit.

L X X I . Mulier censemur dotem sibi reddendam stipulari, quam pro ea dat extraneus: nisi ipse stipuletur in casum soluti matrimonij. l. quoties pater, in fin. ff. solut. matrim. l. j. §. accedit. C. de rei uxor. action.

L X X I I . Qui sub imagine alterius personæ, quam ad emendam supposuerat, posse derit rem: is præsumitur non alienasse, & uelut possessor potest conueniri. l. & qui sub imagine. C. de distract. pign.

L X X I I I . Idoneus officio præsumitur is, ex cuius persona non procedit læsio in alium. l. seruos legauit. ff. de manumiss. testam. l. cum pater filios. §. rogo filia. ff. de legat.

legat. ij. c. j. de scruti. in ordi. facien. c. fi. de præsumpt.

L X X I I I . Præsumitur non idoneus , qui lædit aut læsurus est alium officio suo. l. ij. C. de his qui ueni. ætat. impetra. l. ex persona. C. de probat. l. j. §. si magistratus, in fi. ff. de magistr. conuenien.

L X X V . Præsumēdus est naturalis adfectus filij erga patrem. l. Aurelius. §. Titius testam. ff. de liber. leg.

L X X VI . Donatio præsumitur propter inclinationem proximitatis. l. censualis. C. de donat. l. liber captus. C. de postlimi. & redempt. ab hostib.

L X X V I I . Qui gladium strinxerit, & co percusserit : is præsumitur animum habuisse occidendi, modò si non adpareat diuersum. l. j. §. diuus Adrianus. ff. ad leg. Cornel. de sicar. l. j. C. eod. tit.

L X X V I I I . Verba conuitiorum falso prolati aduersus innocentem, arguunt animum iniurandi, punitione reprimendum. l. si non conuitij. C. de iniur.

L X X I X . Qui natus est ex marito & uxore in eadem domo, is creditur legitimus esse filius, nisi uel absentia, uel mala ualentudo declaret maritū cum uxore aliquan- diu non concubuisse. l. filiū. ff. de his qui sui uel ali. iur. sunt.

L X X X . Suspectus est , qui ingerit operas suas inuito. l. quæ omnia. ff. de procurat.

L X X X I . Non est uerisimile metu compulsum eum, qui habet claram in urbe dignitatem. l. non est uerisimile. ff. quod met. caus.

L X X X I I . Præsumitur adquievisse iudicis sententiæ , qui secundum eam quædam præsttit. l. quædam mulier. ff. famil. erciscun.

L X X X I I I . Sententiæ uidetur consensisse , qui ad soluendum dilationem petiit. l. pen. C. de re iudic.

LXXXIII. Qui ab hereditibus institutis aliquid emit, uel conductit, uel soluit eius quod testatori debet, is iudicium seu ultimam uoluntatem defuncti agnosceretur presumitur. l. si ponas. §. si hereditatem. ff. de inof. test.

LXXXV. Si exhaeredatus petendi legatum ex testamento aduocationem prebuit, procurationemq; suscepit, remouetur ab accusatione. Agnouisse enim uidetur, qui quale quale iudicium defuncti adprobauit. l. si. ff. eo. tit.

LXXXVI. Qui uniuersa bona sua alienat, intelligitur fraudandorum creditorum habuisse consilium. l. omnes debitores. §. j. ff. que in fraud. credit.

LXXXVII. Verisimile fit, extraneum qui stipulatur dotem sibi finito matrimonio reddi, etiam prospere in casu uoluisse, si matrimonium non sequeretur. l. si extraneus. ff. de conduct. caus. dat.

LXXXVIII. In liberæ mulieris consuetudine non concubinatus, sed nuptiæ intelligendæ sunt, si non corpore quæstum fecerit. Modestin. l. in liberæ. ff. de rit. nupt. c. illud quoq; de præsumpt.

LXXXIX. Præsumuntur quidam esse boni, quia nationis sunt infamatæ. quidam mali, quoniam e natione sunt, que ualde infamis est. l. quod si nolit. §. qui principia. ff. de ædil. edict.

X C. Præsumitur sortem debere, qui usurps longo tempore soluit. l. cum de in rem uerso. ff. de usur.

XCI. Si inductum, hoc est, cancellatum fuerit chirographum, præsumitur debitor liberatus esse. l. si chirographum. ff. de prob. l. inductum. C. de solutionib.

XCI I. Mulier edens partum undecimo mense post obitum mariti, præsumitur ex alio concepisse. Nouell. de restit. dotal. rer. §. si quidem mulier. Conflit. xxxix.

**X C III.** Ex tempore præterito transfertur præsumptio ad tempus præsens. l. sicut re. §. superuacuum. ff. quib. mod. pig. uel hypothec. soluit. & è diuerso. Ex tempore præsenti in tempus præteritum. l. quædā sunt, in princ. ff. de reb. dub.

**X C IIII.** Creditor paciscaens ne pecuniam petat, uidetur simul etiam ius pignoris remittere. l. soluitur hypotheca. ff. eod. tit.

**X C V.** Filiū censemur domini rerum paternarum, nullis grauandi probationibus, siue agant, siue conueniantur. l. siue possidetis. C. de probat.

**X C VI.** Si scriptum in instrumento fuerit, promisisse aliquem: præsumuntur omnia solenniter acta, hoc est, quod interrogatore præcedente, responsio fuerit secuta. Instit. de inutil. stipulat. §. si scriptum. l. sciendum est generaliter. ff. de uerb. obligat. l. j. C. de contrah. & committ. stipulat.

**X C VII.** Qui semel furere coepit, is per totam prorsus uitam nō existimatur ad sanā mentem rediisse: nisi euidenter adpareat diuersum. l. ambiguitatem. C. de usufru.

**X C VIII.** Res dotalis aestimata post contractum matrimonium, non præsumitur donationis causa aestimari. Sed donata ante matrimonium, uidetur donatio in tempus matrimonij collata. l. si res aestimata, in prin. ff. de iur. dot.

**X C IX.** Si mulier naufragio cum anniculo filio periret, uerisimile uidetur ante matrē perisse infantē. l. inter sacerorum, in prin. ff. de pact. dot. l. si mulier. ff. de reb. dub.

**C.** Si bello pater cum filio perierit, præsumitur filius ante perisse. l. qui duos. §. cum bello. ff. eod. tit.

**C I.** Cum mulier uno utero matrem & foeminam parit: in dubio coniendum est, priorem masculū fuisse

editum

editum.l.si fuerit legatum,in si.ff.eod.tit.

C II. Si pater cum filio pubere perierit,intelligitur domi & extra bellum,superuixisse filius patri. Quod si filius impubes cum patre perierit,creditur patrem superuixisse:nisi utroq; casu contrarium adprobetur.l qui duos impuberis. §.fi.!bidem.

C III. Incendia plerunq; censemur fieri culpa inhabitantium.l.iiij. §.j.ff.de offic.præfect.wigil.

C IV. Aduersus mentientem , præsumitur etiam sequentem eius assertionem esse falsam. l. cum de indebito,in princ.ff.de probat.

C V. Nemo ita resupinus est,ut facile suas pecunias iactare,& indebitas effundere creditur. Itaq; præsumptio pro eo est,qui accipit. Ibidem.

C VI. Quilibet præsumitur instructus esse instrumento suo professionis. l. si quis ex argentarijs. §.prætor ait.ff.de edend.

C VII. Præsens præsumitur scire quid agatur.l. testium facilitatem, in princip. C. de testib. l.j. C.de error. aduocato.

C VIII. Is cuius bona ueneunt , præsumitur non esse soluendo,ad instar illius,qui aperte prodigus est.l.tres tutores. §.fi.ff.de administr. & peric.tuto.

C IX. Quod aliquis uerbotenus exprimit , præsumitur uoluisse. Et contra,quod quis non dixit, intelligitur quoq; non uoluisse.l.sed hæc nimium.& l.sequen.ff.de excus.tut.l.Labeo ait. §.sed de his.ff.de supell.leg.

C X. Qui de rebus alienis non facit solenne inuentarium : is præsumitur in mala fide,condemnandus ad id, quod interest iuramento probandum. l.j §.ff.uio tutoris. ff.de tutel. & rat.distrab.

C X I. Præsumitur agi inter cōtrahentes, primum quod ex natura negotij, deinde quod in ea regione consuetum est. l. cūm quid. ff. sī cert. pet. l. semper. ff. de reg. iur.

C X I I. Qui per se uel per alium impedit cognitio nem causæ : is omnino censetur suspectus iniquitatis, quam læsa conscientia timet detegi. l. pen. C. de postul. c. constitutis. de testib. c. peruenit. de testib. cog.

C X I I I. Summa pernicies existimatur, impiorum palpitatio. Sicut noxius est (inquit Salomon Parabol. xxvj.) qui mittit lanceas & sagittas in mortem : ita uir qui fraudulenter nocet amico suo: & cūm fuerit depræhensus, dicit : ludens feci.

C X I I I I. Ex naturali inclinatione præsumitur cognatio sanguinis, exemplo Salomonis omnium celeberrimo. iij. Reg. iij. c. ij. de præsumptio.

C X V. Ex studijs suis intelligitur puer, uidelicet, qualis futurus sit D E O & reipublicæ. Proverbi. xxvj. c. iij. de præsumptio.

C X V I. Confiteri, uidetur omnia, qui calumniosis dilationibus subterfugit iudicium. Vel, qui dato ad purgandum se iudicio non utitur. c. nullus dubitat. eod. tit. xj. q. j. c. Christianis. & iij. q. xj. c. decernimus.

C X V I I. Cui plura proponuntur adserendo: is si unū neget, uidetur tacendo reliqua fateri. c. nonne. de præf.

C X V I I I. Vicini præsumuntur scire conditionem uicinorum. c. quosdam. & c. seq. eo. tit.

C X I X. Qui tacet præsumitur consentire, quando lex dat potestatem contradicendi, quæ disimulatur tacendo. l. qui tacet. ff. de reg. iur. l. penulti. ff. de re iudic. l. si seruus communis. ff. de donat. inter uir. & uxo.

C X X. Verisimile non uidetur, cognatum ignorasse  
s malam.

malam ualeitudinem cognati, non subito defuncti. l. octau gradus, in si. ff. unde cognat.

C X X I . Quod secundum ordinationem iuris pri-  
mùm fieri debebat, id primo loco censetur factum esse. l. &  
qui duas. ff. de seruit. urb. n. præd. l. illud dubitari. ff. de ad-  
quir. hæred. Sicut ( inquit Pomponius ) si legitimam uelim  
ad me pertinere, cùm sciam testamento mihi relictam : ui-  
debor ante repudiare testamentum, & ita legitimam ad-  
quisuisse.

C X X I I . Credendum est, eum, qui partis domi-  
nus est, puta socium, iure potius suo uti, quām furti consi-  
lium inire. l. meritò autem. ff. pro soci. l. si quis seruum. ff. de  
seru. corrupt. Nemo enim suam receperit. l. item apud La-  
beonem. §. si communem. ff. de iniuri. l. semper indubij. ff.  
de reg. iur.

C X X I I I . Quod facere quispiam consueuit, eius  
quoq; nūc simile præsumitur fecisse aut uoluisse. l. uel uni-  
uersorum. ff. de pignor. acti. l. qui semisses. §. quæsumum est,  
ff. de usur. l. item si filiu. famili. §. quod dicitur. ff. de senatusc.  
Macedoniat. l. numis indistincte. ff. de legat. ij.

C X X I I I I . Qui sciens contemnit uindictam or-  
dinatione legis à se faciendam : is est præsumendus in dolo  
dissimulati criminis. l. propter. §. neptis. ff. de senatusc. Syll.

C X X V . In ambiguis factis, id præsumitur eue-  
nisse, quod humaniorem iuris sententiam parere posse. l. si  
fuerit. §. si ff. de reb. dub.

C X X V I . Qui confitetur sibi decem (puta) uel  
quinquaginta deberi: is præsumitur nihil amplius credidisse  
debitori. l. rationes ff. de probationibus. l. iiij. §. cùm Titio  
centum. ff. de adimen. legat. l. si quidem. C. de transact.

C X X V I I . Præsumitur quis nō alienasse ea, quæ  
possid

possidet. l. sicut re. §. si uoluntate. ff. quib. mo. pig. uel hyp. sol.

C X X V I I . Qui de eadem re contraria adserit in gratiam alicuius : is præsumitur priore dicto ueritatem confessus, quam posteriore uoluerit reuocare mendatio. c. literas uestras. de præsumptionib. c. Cùm in tua. de testib. c. per tuas. de probationib.

C X X I X . Qui ponunt eam conditionem, quam sciunt esse impossibilem : hi præsumuntur cogitare , quòd nihil agi uoluerint. l. non solum, in fi. ff. de oblig. & actioni. iuncta. l. impossibilis. ff. de uerb. oblig.

C X X X . Si quis priuatim scripsiterit se fideiussisse, uidentur omnia solenniter acta. l. sciendum est. ff. de uerbo. oblig. Instit. de inutili. stipul. § si scriptum. & Institu. de fideiussio. §. fi. l. j. C. de contrah. stipul. Ratio est : Quia uerba scripti insinuant ipsam solennitatem & iuuant coniecturam. Et hanc commentatores uocant solennitatem intrinsecam magno uerborum inuolucro.

C X X X I . Quando alicui rei tribuitur autoritate iuris significatio perfectionis, tunc probata re illa, simul etiam præsumitur perfectio. Ut ecce: Arra non ui nominis, sed legitima autoritate significat perfectam esse conventionem: Ergo probata arra, sequitur argumentum perfecti contractus. Instit. de empt. & uendi. in prin. ff. de contrah. empt.

C X X X I I . Si tabellio scribat, se præsentem fuisse, præsumitur etiam rogatus: quoniam ex officio suo solet mandatum accipere scribendi instrumenti. Nouell. de tabellionib. §. j. Constit. xlviij.

C X X X I I I . Præsumitur non esse factam transactionem, nisi probetur. l. qui cum tutoribus. §. fin. ff. de transactio. l. sub pretextu. C. eo. tit.

C X X X I I I . Princeps uel magistratus præsumuntur scire cōsuetudinē ditionis suæ. l. iij. C. quæ sit long. cōsue.

C X X X V . Cum posterior stipulatio contineret plus quam prior, præsumebar olim nouatio. Aliter erat cum minus complectetur, nisi nominatim conueniret. l. qui usumfructum. ff. de uerb. oblig. Hodie non præsumuntur. l. f. i. C. de nouatio.

C X X X V I . Qui duobus promittit copulatiū decem, puta. Titio & Seio: is de ijsdem decem sentire, ac unicuique quinque, non autem decem promittere, præsumuntur. l. stipulatio ista habere. §. eum, qui ita. & l. eum, qui ita, in prin. ff. de uerb. oblig.

C X X X V I I . Præsumuntur, litigantes habere uotum obtinendæ sententiæ. l. in ratione legis Falcidiæ re-tentiones. ff. ad leg. falcid.

C X X X V I I I . Qui petit sibi pignora addici, is uelut pacto transegisse præsumuntur. Proinde contentus possidere pignora, non potest superfluum debiti petere. l. à diuo Pio. §. si pignora. ff. de re iudic.

C X X X I X . Non præsumuntur aliquis per stipulationem plus promisisse etiam animo nouandi, quam teneretur priori actione nouata. l. iiiij. ff. de usuris.

C X L . In eo, quod tempore aut facto finitum est, nullus est coniecturæ locus. l. continuus. §. cum ita stipulatus. ff. de uerb. oblig.

C X L I . Ex naturali detentione quam adserunt testes, præsumuntur possessio ciuilis l. quædam mulier. ff. de rei uindi. l. iij. §. j. ff. de adquir. possess. l. ij. C. eo. tit. l. Titia. ff. de solution. Nam testes factum quod extrinsecus perceperunt adserere oportet: iuris consequentiam iudici relinquentes. l. hæredes palam. §. in testamentis. ff. qui testa. fac. poss. l. testium.

testium. C. de testib. iunct. l. iij. ff. eo. tit. dum dicit: Eum qui iudicat magis scire posse.

C X L I I. Qui fundum uniuersum uno nomine possedit, quamvis diuersis partibus locauerat: is præsumitur totum fundum legasse sub uniuersali appellatione: nisi hæres, de qua parte testator senserit, euidenter probaverit. l. Caius Titius Pronepos. §. Titius cùm ff. dc leg. ij.

C X L I I I. Verisimile non fit, ad solutionem quem properasse, amissa querela de chirographo per uim extorto. l. ij. C. de his, quæ ui metus. cauf.

C X L I I I I. Præsumptio est pro eo qui dicit, pecunias non indebitas sibi fuisse solutas. l. cùm de indebito, in prin. ff. de probatio.

C X L V. Nemo præsumitur facile suas iactare pecunias, & indebitas effundere. Ibidem.

C X L V I. Diligens & studiosus paterfamilias non præsumitur faciliter errasse in solutione. Ibidem.

C X L V I I. Non est uerisimile quem scripsisse falso contra seipsum, arg. l. exemplo. C. de probatio.

C X L V I I I. Non malignè accipiendum est per præsumptionem: eidem stipulatum usuras, cui & sortem, uideri. l. si ita stipulatus fuero, si Titius. §. Chrysogonus, in fi. ff. de uerb. oblig.

C X L I X. Ea, quæ præfationibus conuenisse concipiuntur, etiam in stipulationibus repetita creduntur. l. Titia quæ. §. j. ff. co. tit.

C L. Vbi reperitur in scriptura cautione uerbum Promisi: ibi præsumuntur præcessisse uerba stipulationis. Ibidem. §. Idem respondit cùm.

C L I. Reus ob aliquam rem conuentus cuius incidit dubitatio: semper præsumitur negaturus ueritatem fistetur

corū interpretationi.l.inter stip. §. si Stichū. ff. de uerb. obl.

C L I I . Vox unius testis tametsi non probet: utiq; præsumptionem introducit , qua moueri oportet iudicem:ut titul.de consuet.recti feud §. s: cramentum. Dum dicit:Si aliquid pro eo sit quod iudicem moueat.l.si duo patroni,in prin. ff. de iure iur. l.j. §. fi. ff. de liber. agnoscen. l. j. Et l. ij. in fi. ff. quemad. testa. aperian. l. Thcopompus. ff. de dote releg l. nemini. C. de aduoca. diuerso. iudi. l. si quis decurio. C. de decurioni.

C L I I I . Quæ fiunt ante officium, ea præsumuntur facta priuato affectu, non officij ratione. Notatur in l. si aliquid. C. de suscep. præposi. & arcar.

C L I I I I . Præsumitur sepe aliquid negatum, nisi probetur concessum fuisse propter id, cui accedit: ut tit. de feud.guard. & cast.l. §. si uerò. l. j. §. item senatus con. ff. de postul.l. furti. §. pactusue. ff. de his qui not. infā.

C L V . Cum quis facit aliquid ad quod non obligatur: tunc error præsumitur , nisi probetur scientia in homine simplici. l. sed & si quis cautioni. l. cum de indebito. §. sin autem is. ff. de probationib.

C L V I . Qui id facit aut dat, cuius nullatenetur obligatione : is præsumitur certò scire, nisi probet errorem si homo sit diligens & studiosus paterfamilias. d. l. cum de indebito. in prin.

C L V I I . Qui postea fecerit quod prius fecisset, si certior factus cognouisset: id ex equitate admitti debet, ubi de damno alterius uitando tractatur. l. deniq; diuus. §. & ff. de minorib. xxv. annis.

C L V I I I . In dubio præsumitur masculus prior ex utero matris editus, quam fœmina, ubi nascuntur gemini. l. si fuerit, in fi. ff. de reb. dub.

C L X I X . Præsumitur quis non alienasse ea quæ posidet. l. sicut. §. si uoluntate. ff. quib. mod. pig. uel hyp. sol.

C L X . Cum debitor creditori aliquid soluit, inde nos nascitur præsumptio, quod creditor ex alia forte causa nihil debeat uiciissim debitori tunc soluenti. l. si cum dos, in prin. ff. rer. amota.

C L X I . Qui confitetur sibi tantum decem deberi aut aliam rem: is præsumitur nihil amplius credidisse huic debitori. Nulla taxationis uoce adiecta, cessat talis præsumptio. l. rationes. ff. de probat. l. iij. §. cum Titio centum. ff. de adimen. leg. l. siquidem. C. de transact.

C L X I I . Præsumitur donare qui sciens indebitum soluit. l. cuius per errorem. ff. de reg. iuris. Et ideo soluens eo casu non habet conditionem indebiti. l. j. ff. de condic. indeb.

C L X I I I . Præsumptio in materia legatorum ex multis colligitur gradatim, quæ in alijs etiam præsumptionum speciebus plurimum ualent. Ulpianus in l. si seruus plur. §. fin. ff. de legat. j. Si numerus humorum legatus sit, neq; adpareat quales sint legati: ante omnia ipsius patrisfamilias consuetudo, deinde regionis, in qua uersatus est, exquirenda est. Sed & mens patrisfamilias, & legarrij dignitas & charitas, & necessitudo. Item earum quæ præcedunt uel quæ sequuntur summarum scripta sunt spectanda.

C L X I I I I . Nemo præsumitur uoluisse, ut quis eandem rem bis consequatur. l. Maeuius fundum, in prin. ff. de lega. iij. Papinianus: Maeuius fundum mihi ac Titio sub conditione legauit: haeres autem eius eundem sub eadem conditione mihi legauit. Verendum esse Julianus ait, ne existente cōditione pars eadem ex utroq; testamento mihi

debeat. Voluntatis tamen quæstio erit. Nam incredibile uidetur id egisse hæredem, ut eadem portio bis eidem debeat. Sed uerisimile est, de altera parte eum cogitasse.

C L X V . Præsumitur, quod fideiussores à tutoribus dati, Rem pupilli saluam fore, non fuerint satis idoni, nisi probentur fuisse soluendo. l. j. §. si magistratus. ff. de na-  
gist. conue. Probatio autē (inquit Vlpianus) non pupillo in-  
cumbit, ut doceat fideiussores soluendo non fuisse cū acci-  
perentur: sed magistratibus, ut doceant eos soluendo fuisse.

C L X VI . Qui manet ultra tempus in re condu-  
cta, uidetur de nouo conductisse. l. legem. C. de loca, & con-  
du. Legem quidem conductionis scruari oportet, nec pen-  
sionum nomine amplius, quam conuenit, reposci. Si autem  
tempus, in quo fundus locatus fuerit, sit exactum in eadem  
locatione conductor permanserit: tacito consensu eandem  
locationem unā cum uinculo pignoris renouare uidetur. l.  
qui ad certum. ff. co. tit.

C L X VII . Præsumptioni tunc est locus cum ue-  
ritas alio modo inuestigari non potest. l. numinis. ff. de le-  
gat. ij. Vlpian. Numis indistincte legatis, hoc receptum est,  
ut exiguiores legati uideantur: si neq; ex patris familiis,  
neq; ex regionis consuetudine unde fuit, neq; ex contextu  
testamenti possit apparere. arg. l. antiqui. ff. si pars hære-  
dita. petat.

C L X VIII . Præsumitur sciens qui scire debet,  
licet sit ignorans. l. sed & si pupillus. §. proscribere. ff. de  
institor. actio. Vlpianus: Certè si quis dicat, ignorasse se li-  
teras, uel non obseruasse, quod propositum erat, cū mul-  
ti legerent, cumq; palam esset propositum, non audietur.

C L X I X . Præsumitur bonus, qui de bono gene-  
re natus est. Vide Bonus.

C L X X . Præsumitur nemo suum iactare uel perdere . l . cùm de indebito . § . sin uerò . ff . de probatio .

C L X X I . Præsumptio melior , hoc est , uero similior præfertur inter multas . l . Quintus Mutius . ff . de dona . inter uirum & ux . l . merito . ff . pro soc .

C L X X I I . Præsumitur bonus uir memor suæ salutis . l . fi . § . & licet . C . ad leg . l . ul . repet . & licet neminem diuini timoris contemnendo iure iurando arbitramur immemorem , ut saluti propriæ ullum cōmodum anteponat .

C L X X I I I . Præsumitur id quod male actum est semper iniuriam habere . l . si quis . ff . ad leg . Aquil .

C L X X I I I I . Præsumendum est potius bonū , quam malum , ubi factum utramq; interpretationem admittit . d . l . Quintus Mutius , & l . merito . ff . pro soc . l . si defunctus . ff . de administ . & peric . tutor .

C L X X V . Præsumuntur omnia solenniter acta , nisi probetur contrarium . Diocletian . & Maximian . in l . cum præcibus tuis . C . de probat .

C L X X V I . Præsumitur negare , qui diuersum adserit . l . maritus . C . de procurat .

C L X X V I I . Præsumptio non sola sufficit ad damnandum . l . absentem , in princ . ff . de pœnis , Vlpianus : Sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari , Diuus Traianus Ad fiduo Scuero rescripsit .

C L X X V I I I . Præsumptioni leui non est standum . l . deniq; . ff . de minor . xxv . annis .

C L X X I X . Præsumptio etiam leuis aliquando obstat petitioni . l . denique . § . j . ff . de minoribus . Vlpianus : idem tamen ( inquit ) confitetur , si leuior sit suspicio aduersarij , quasi dolo uersati , non debere hunc in integrum restitui .

PROBATIONVM  
REGVLAE AD PRAXIM  
iudicariam admodum  
utiles.



Robatio est demonstratio quædam dictorum factorum ue, iudici facienda , de causis apud eum controuersis cognoscenti. Vnde probationem recte dicunt esse facti. Probatio est rei dubiae per argumenta ostensio. Notatur in titu.  
C.de probat.

Probatio seu fides iudici est facienda non aduersario. l.inter stipulantem. §.j. ff. de uerb. oblig. l. quinquaginta. ff. de probat. l.j. C.de condic. ob turp. caus. l.j. C.de reb. alien. nō alien. Si præsidi prouinciæ (inquit) probatum fuerit.

Probatio nunquam satisfaceret aduersarijs , etiam si solem ipsum ad ostendendam ueritatē in manibus gereres.

Probanda non sunt alia, quæm quæ necessario ad causam pertinent. l.ad probationem. C.de probat.

Probanda non sunt manifesta, aut iudici nota. l. si uero. §. qui pro rei. ff. qui satisda. cogan. argum. l.j. in fi. ff. de dote releg.

I. Actor adserens aliquid, probare debet: quia iustum est, ut is fidem faciat dicti uel facti sui, qui intendit esse uerum ab aduersario negatum. l.ij. ff. de probat. l. actor. C. eod. tit. l. qui accusare. C.de edend. l.res. C.de rei vind. Inst. de legat. §. quod autem dixi.

II. Actor probat se pecuniam indebitam soluisse. l. cùm de indebito. §. si uero. ff. de probat.

III. Qui falso negat se accepisse id, quod reuera accepit:

cepit: de mendacio coniunctus grauatur probatione. dict. l.  
cum de indebito. ff. de probat.

III. Si pupillus, minor, mulier, miles, agricola,  
uel alius simplicioris ingenij soluerit pecuniam indebitam:  
reijcere potest onus probandi debiti in reum conuentum.  
ead. l. cum de indebito. §. si autem is.

V. Soluens pecuniam pro parte indebitam, tenetur  
probare iuxta regulam generalem. d. l. cùm de indebito. §.  
si autem pro parte.

VI. Actor potest deferre iusurandum reo, aut con-  
tra, reus actori: uel alter alteri referre in materia indebiti.  
Quod tamen iudex passim admittere non debet, si quid  
uideat obstat. d. l. cùm de indebito §. in omnibus autem.

VII. Qui allegat cautionem à se scriptam, indebitè  
expositam fuisse: is probare debet sub distinctione quæ tra-  
etatur in d. l. cùm de indebito. §. sin autem cautio.

VIII. Coniectura pro adserente legitima & suf-  
ficiens, transfert onus probandi in aduersarium: ueluti,  
cùm frater petit partem prædij paterni: frater negans  
faciendam diuisionem, debet probare prædium ad se tan-  
tum pertinere. Nam bona paterna præsumuntur commu-  
nia inter fratres. l. siue possidetis. C. de probat. Argum. l. si  
necessarias. §. pen. ff. de pign. act.

IX. Opponens exceptionem per quam aliquid ad-  
serit, debet eam probare. Quoniam in exceptionibus di-  
cendum est, reum conuentum partibus actoris fungi ut im-  
plete intentionem. Tales sunt exceptiones solutionis, trans-  
actionis, præscriptionis, & cæteræ. Idem dicendum est de  
replicationibus, quæ uelut exceptiones sunt actoris. l. j. &  
ij. ff. de except.

X. Negans simpliciter factum, non adiecta loci uel  
temp

temporis circumstantia, non est compellendus ad probations. Ut si quis dicat, se non esse uocatum in ius, aut non contraxisse, uel rem non esse aduersarij. Hanc enim uocant puram uel simplicem negationem quæ nihil adassertio[n]is in se habet. l. ult. C. quib. ad libert. procl. non lic. l. nemo, in fi. C. de adquir. poss. l. plures, in prin. C. de fide instr. l. j. §. sed si cum. ff. de coll. it. bon. l. si ex cautione. C. de non numer. pec. §. commodum. Instit. de interdict.

X I. Negans aliquid certo loco uel tempore factum esse, non est immunis à probatione, quam & præstare potest, si ostendat alio in loco aut tempore factum fuisse, iuxta l. optimam. C. de contrah. & commit. stip. & §. item uerbo-tenuis. Instit. de inutil. stipul.

X II. Is qui negat qualitatem personæ uel rei idoneam, utiq; probare tenetur. Nam quilibet præsumitur idonus, sicut & quælibet res bona, nisi diuersum doceatur. Vlpianus, in l. cùm quidam ita Papinianus, l. cùm pater. §. rogo. ff. de legat. ij. l. ult. ff. de liber. agnosc. l. si creditores. in fi. ff. de priuile. credit.

X III. Neganti solennitatem iuris fuisse adhibitam incumbit probatio. l. ab ea potestate. ff. de probat. l. nec nō. §. quod eis. ff. ex quib. caus. maior. l. non omne. §. j. ff. de reg. iur. Quod intellige de solennitate negotiorum extra iudicium. Iudicij autem solennitas probanda est, si negetur ab aduersario. c. quoniam contra falsam. de probat.

X III I. Qui aliquam natuitatis suæ originem, puta genus, gentem, seu familiam allegat: is semper probare debet. l. j. ff. de probat. Genus appellatur totius cognitionis necessitudo. Gens uero, familiæ tantum ex eadem linea (ut dicunt) masculina descendens. Cognatio autem apud Romanos diuidebatur in agnatione, & cognitionem. Agnatio erat

erat inter eas personas, quæ idem cognomen habebant gentilitatis, easdem imagines, eandem familiam: breuiter, qui omnia, etiam religionis iura communiter habebant. Vnde iam nunc agnationem metimur in feudis, Einen namen schilt und helm.

Cognatio autem à matre erat, & apud Ciceronē stirps appellatur, lib. de Oratore. l. Vlpia. in l. ij. §. j ff. de suis & legit. Justinianus. §. j. Instit. de legit. agnat. successio. Itaq; ad imitationem Romanorum iam nunc quoque tria personarum iura obseruamus: uidelicet, Cognitionis seu stirpis, Agnationis, & Gentilitatis.

Gentilitas enim nobilium est propria, sicut cognitione agnatione communis omnium. Siquidem gentiles & olim dicebantur, qui sui generis imagines proferre poterant ob insignem uirtutem rerum præclarè gestarū adeptas. Qua ratione Cicero in Pisonem, antiquissimi generis stemma, uocat Fumosas imagines. Contrà, qui nullis maiorum imaginibus & nobilitate commendabantur, eos terræ filios, à se ortos, ac nouos homines appellat. Tranquillus in Vespasiano, Flavia gens (inquit) obscura illa quidem, ac sine ulla maiorum imaginibus: sed tamen Reipublicæ nequaquam pœnitenda.

Nobilitatem item multum commendabat, quod ab ingenuis nati essent, quorum maiores seruitute aut capititis diminutione nunquam fuissent contaminati: ut à libertis, uel adscriptitiis, uel alijs hominib. plebeis facile discerni posset.

X V. Qui cum minore contraxit, is probat interuenisse solennitatem iuris, forte negatam. l. quæcunq; in ff. de public. Ratio differentiæ inter hanc, & decimam tertiam regulam est, æquitas profecta ex circumstantia personæ, quæ multis captionib. est supposita. l. j. in prin. ff. de minor.

**X V I.** In tribus iudicijs, scilicet familiæ erciscundæ, communi diuidendo, & finium regundorum, cum uterque litigatorum actor & reus censeatur, ab utroque exiguntur probationes, prius tamen ab eo qui ad iudicium prouocasset. l. in tribus istis. ff. de iudic. l. ij. §. in familiæ erciscun. ff. famil. ercisc. l. iudicium. ff. fini. regund. l. ij. §. ult. ff. commu. diuid. Idem est in duplicibus interdictis, cum uterque se possidere intendit. Instit. de interdictis. §. pen.

**X V I I.** Si reus fiducia iuris sui & innocentiae ultrò in se suscipiat onus probandi, mos ei gerendus est. Vlpianus in l. circa. ff. de probat. Quod si uterque probare uoluerit: primo loco actor, deinde reus admittitur, ut ibi tractatur.

**X V I I I.** Iudex ex causa nonnunquam potest, ubi uiderit expedire, utriusque litigatorum probationem decernere: quia etiam reus excipiendo fit actor, & tamen non censetur confiteri. l. non utiq. ff. de except. l. i. C. de proba. l. quinquaginta. ff. eod. tit. quinquaginta (inquit Celsus) testamento tibi legata sunt. Idem scriptum est in codicillis postea scriptis. Refert, duplicare uoluerit, an repetere, & an oblitus se in testamento legasse, id fecerit. Ab utroque ergo probatio eius rei exigenda est. Prima fronte æquius uidetur, ut petitior probet quod intendit, sed nimisrum probationes quædam à reo exiguntur. Nam si creditum petam, ille respondeat solutum esse pecuniam: ipse hoc probare cogendus est. Et hic igitur, cum petitior duas scripturas ostendit, hæres posteriorem inanem esse dicat: hæres ipse id probare iudici debet.

**X I X.** Cum non sit bonum, ut ueritas denegetur, ut in tit. de conten. inter domi. & uasall. de inuestitu. feud. curare debet iudex officio suo uel non inuocato, ut ueritas inuestigetur per probationem alterutri litigatorum impo-

neādam.l.ij.C.de edend.l.ij.in fi. ff.de iureiuran.

X X . Cūm iudex ex causa nonnunquam desert alterutri litigitorum iuris iurandi conditionē, quam oportet suscipere siue actorem siue reum, tunc uidetur incumbere probatio ei, cui desertur iuramentum. Caius , in l.admonendi. Vlpianus, in l.non erit ratum. §. dato. ff.de iureiur.

X X I . In quæstione falsitatis criminaliter accusando mota, acerrimam oportet fieri indaginem, argumentis, testibus, scripturarum collatione, alijsq; uestigijs ad ueritatem commodè perducentibus. Nec accusatori tantum probationis necessitas indicenda est, sed etiam reo, ut inter utranc; personam sit iudex medius , ordine probandi seruato, ut primo scripturā producens, deinde falso arguēs, ad probandum admittatur.l. ubi falsid. & l. ulti. ff. ad leg. Cornel. de fals. Ciuiliter autem, scilicet excipiendo, falsitatis disceptatione incidente, requirendum est Iudici, utrum instrumentum quod producitur prima facie suspectum sit: puta, cancellatum, corrasum, aut à Tabellione alias mendacij conuictio descriptum, ut tunc producens probet rei ueritatem. l.iubemus.C.de probat. An uero nulla ex parte suspectum uideri posſit, ut magis debeat excipiens probare falsitatem. l. qui accusare. C.de edend.

X X I I . In criminis læse Maiestatis , aut proditæ patriæ, aut peculatus, aut sacrameti militaris deserti, iudex non minus accusatorem ad docendum, quam reum accusatum ad probandas defensiones quas allegat, urgere debet, ut tanti criminis executio acerbissima non fiat, nisi ueritate comperta.l. ult.in fi. C.de abolitio.

X X I I I . Qui dicit mutatam uoluntatem alicuius, ei merito decernitur probatio. Quare enim non potius id quod hodie uolumus, cras quoq; uelle reputemur? cūm sic propius

propius ad mores cōstantis uiri accedere uideamur, quām ut dicamur singulis horis aliud atque aliud uoluisse, sicut leues & parum ingenui solent. Vlpianus, l. cum qui uoluntatem. Papinianus, l. cū tacitum. ff. de probat.

**X X I I I.** Emptor probare debet rē de qua controuersia est, fuisse uitiosam antequam emeret, ut redhibeatur. Paulus, l. emptorem ff. de probat.

**X X V.** Qui dicit dolo malo aliquid factum esse, licet excipiendo, docere debet admissum dolum. l. quoties §. qui dolo. ff. de probat. l. iij. in fi. ff. de tribut. l. si prætor. §. Marcellus. ff. de iud. Vlpianus, in l. sed si ex dolo. §. ult. ff. de dol. mal. de probando autem dolo suprà diximus.

**X X VI.** Sicut is qui ad libertatē proclamat, prior docere iubetur, siue seruus, uel subditus. Paulus in l. si filius. ff. de probat. Vlpianus, in l. liberis. §. ult. ff. de libera. caus. & l. uis eius. C. de probat. Ita ex diuerso, qui negat aliquē esse talem, qualem haec tenus reputauit communis opinio, puta filium, uel alium cognatum, is probare debet. l. non nudis. C. de probat.

**X X V I I.** Fideiussores pro tutore uel curatore acceptos, fuisse idoneos cū promitterēt, oportet probare eum, cuius officium fuit prouidere, ut pupillo idoneē caueretur: nō uero pupillum quondam agentem actione subsidiaria. Qui quales nunc sunt, præsumuntur fuisse cum acciperentur. l. non omnes. §. à Barbaris. ff. de re milit.

**X X V I I I.** Cum de lege Falcidia queritur, hæredis est probatio, locum habere legem Falcidiā. l. cū de lege. ff. de probationib. Probauit autem faciliter: uidelicet per testamentum, tot esse legata, & tantum esse in bonis testatoris, per inuentarium. Si autem legatarij diuersum intendant, ipsos oportet probare. l. ultim. §. liceptia.

centia. C. de iure deliberan.

X X X . Possessio rerum corporalium relevat ab onere probandi: non tamen uiolenta, uel clandestina detentio. §. retinendæ. Insti. de interdi. l. si quis liberum ff. de probat. l. uis eius. C. eo. tit. Sic & quasi possessio iuris alicuius, reiicit onus probandi in aduersarium. l. circa. ff. de proba. l. sicuti §. sed si queratur. ff. si seruit. uindic.

X X X I . Patronus si ab aliquo quasi liberto, exigit operas, maxime artificiales, nihil iuuatur quasi possessione operarū, nisi probet eas sibi deberi. l. quoties, in prin. ff. de probationib. Vlpianus in l. si non sortem. §. libertus. ff. de condi. indeb. Vbi distinguit inter operas officiales, & fabriles, ueluti pictorias, uel alias.

X X X I I . Cum res aliena legatur, oportet legatum probare, quod testator sciuerit alienam esse, uel obli- gatam: non autem hæredem, quod testator ignorauerit. Quia ignorantia huiusmodi facti præsumitur, nisi diu- csum doceatur. l. uerius existimo. ff. de probatio. §. quod au- tem diximus. Insti. de legat. l. qui cum tutoribus. §. ulti. ff. de transact. l. hoc autem. ff. de administr. tutor. Coniunctis ta- men personis semper debetur, & ab hærede luendum est legatum rei alienæ. l. cum rem alienam. C. de lega. Aequitas autem, est ratio huius iuris uariandi secundum diuersam qualitatem facti.

X X X I I I . Chirographum cancellatum quo- cunq; casu, nondum soluto debito, transfert onus probandi in creditorem, ut ostendat pecuniam, uel totam, uel partem eius adhuc deberi: puta si probauerit deletionem chirogra- phi se inuito fuisse factam. Vlpianus in l. j. §. legi. & §. sed consulto. ff. de his quæ in testa. del.

X X X I I I I . Donatio regulariter probanda est ab  
t adser.

adserente l. nec ignorans. C. de donat. Nisi ratio sanguinis, accedentibus alijs indicis, constitutat uerisimilem & sufficientem coniecturam pro donatario. l. Procula. ff. de probat.

**X X X V .** Confessiones testatorum in ultima uoluntate, si in fraudem uideantur adiectæ, nihil prosunt eis ad releuādam probationem, pro quibus adiiciuntur. Fraus autem potissimum detegitur cum incapaces sunt relictorum illi ad quos huiusmodi confessiones pertinent. Scæuola in l. quidam testamentum. ff. de probatio. l. legati Titio. ff. de libera. legat.

**X X X V I .** Qui ætatem allegat ad fundandam intentionem suam, agendo uel excipiendo, is probat. l. cum te minorem. C. de probat. l. de ætate. ff. de mino. xxv. ann. l. si minorem. C. de in integ. restit.

**X X X V I I .** Qui in tempore fundat intentionem uel defensionem suam, utiq; debet eam probare. l. matrem tuam. C. de probat. Quia temporis ratio incerta est.

**X X X V I I I .** Impugnans ultimam uoluntatem, necessariò probat causam, quare non ualeat. l. si scriptum. C. de probationibus.

**X X X I X .** Is qui negat prospectum esse hæredi, cuius forte in conuentione nulla est facta mentio, utiq; probabit, non actor. Ratio : quia negat rem naturæ consentaneam: quandoquidem tam hæredibus nostris, quam nobis ipsis cauere solemus. Igitur æquum & bonum est, diuersum non credi, nisi probetur. Celsus in l. si pactum. ff. de probat.

**X L .** Qui dicit sibi rem pignori uel hypothecæ obligatam, probare debet. Primum, quod hoc ipsum sponte ac legitime factum sit. Deinde, quod res obligata, fuerit debitoris, eo tempore quo obligaretur. Martianus in l. ante omnia.

*omnia. ff. de probatio.*

X L I. Quomodo autem probandum sit, memoriam facti operis extare uel non extare, tradit Labeo in l. penult. ff. de probatio.

Probationes in criminalibus debent esse luce clariores. l. fin. C. de probatio. Gratian. Valent. Theodos. Sciant cuncti accusatores, eam se rem deferre debere in publicam notionem, que in unita sit idoneis testibus, uel instructa apertissimis documentis, uel indicijs ad probationem indubitatis & luce clarioribus expedita.

Probationum facultas non est angustanda. l. quoniam in fine. C. de haereticis. Iustinianus, Ne probationum (ait) facultas angustetur.

Probatione non indigens manifesta. Vide, Manifesta.

Probationes habere debent, qui accusare uolunt. Antoninus in l. qui accusare, in prin. C. de eden. Vide Actore.

Probatur aliquid eo ipso quod contrarium non ostenditur. l. super seruis. C. qui milita. posse uel non. Iustinianus: Licere dominis adire competentem iudicem, & suam ignorantiam eò quod contrarium minime probatur, ostendere, eoq; modo spoliatos eos militia in suum dominium trahere.

Probatio non colligitur ex eo, quod quandoq; continet abesse. l. neq; natales. C. de probat.

Prodest aliquid incidēs, quod adfectatum non prodest. l. ij. § fin. ff. si quis cautionib. Vlpianus: Simili modo exceptio datur ei, qui cum ad iudicium uenire uolebat, à magistratu retentus est, & retentus sine dolo malo ipsius. Nam si ipse hoc adfectauit, uel causam præstit, non proderit ei exceptio: ac ipsius quidem dolus ei oberit, ceterorum non Oberit, qui dolo malo fecerunt, ut retineretur.

# DE CONSUL- TATIONE.



**A**EPE superius mentionem feci consultationis: certoq; constat certius, eorum quæ hucusq; de Topicis seu locis legalibus tradi- di, nihil posse in usum forensem recte perduci, sine præclara consultationis opera. Quamobrem & utile & necessarium fore existimauit, ut de consultatione breui- ter dissererem. Præsertim, quod ab omnibus ferè maximo rerum discriminē contemni hoc saeculo consultandi benefi- cium video.

**Q**uotum enim reperias, bone lector, qui post exitum rei infelicitter respondentem, non utatur misera pœnitentium uoce, Non putaram; Et interim tamen horrendis peri- clitantium exemplis pauci admodum inuitantur ad consul- tandum. Nemo enim credit quām egregium habeat consul- tatio fructum: nisi qui rerum imprudenter gestarum ama- ritudinem degustauerit.

Interim uideamus breuiter consultandi modum & for- matum.

## QVID, ET QVOTVPLEX sit consultatio.

**A**Dmonendi sumus consultationem non tantum fu- rarum, sed etiam præteritarum, aut præsentium re- rum accipiendam esse. Ideoq; generaliter sic definiemus.

Consultatio est deliberatio ad inuestigandam ueritatem eius quod in quæstione positum est, solemniter adhibita.

Quemadmodum enim humanorum corporum natura in uno statu manere non potest, sed semper aut crescit, aut decrescit, ut eleganter ait Hieronymus. c. nec tales de con- secrâ

ſecratio. diſtin. v.l. proponēbatur. ff. de iud. Nouell. De non alienan. §. ut autem. Conſtit. viij. Quid enim (ait) eſſe potest ſtabile inter homines & immobile, ut nullam patiatur mutationem: cūm omnis noster ſtatus ſub perpetuo motu conſiſtat? Ita ad instar hominis, qui Microcosmus, ſeu par- tius mundus dicitur, omnes res mundane continuis mutationibus obnoxiæ ſunt.

Aduersus hanc humanarum rerum inconstantiam nul- lum præſentius eſt remedium, quām consultatio: ſive de his dubitetur, que præterita & ex ordine ſuo luxata ſunt, quo- modo reformentur & restituantur in melius: ſive de his, que præſentia ſunt, quomodo recte definiantur, aut ut ex multis bonis eligatur optimum, aut ex multis malis, mi- nus malum. l. quoties nihil. ff. de reg. iuris. Siue denique de futuris imminentibus periculis que possunt euitari uel fal- tem mitigari, quæſtio uertatur.

Videamus itaque singula uerba definitionis.

Est deliberatio.

Loco generis ideò posui. Nam deliberatio cuiuslibet rei fieri ſolet, non ſolum publicè, ſed etiam priuatim. Quoties enim alicuius rei faciendæ uel non faciendæ consilium ca- pimus, intenta ad diligentem cogitationem mente: toties de- liberare dicimur, etiam priuatim apud nosmetipſos. Vnde eſt tit. C. de iur. deliber. Et Vlpianus, l. 3. in prin. ff. de exer- act. Quamuis (inquit) interdum locus uel tempus non pa- titur plenius deliberandi consilium. Sequitur.

Ad inuestigandam ueritatem. Huc enim finis diri- gendus eſt conſultandi, ut inuestigetur ueritas. l. iiij. in fi. ff. de iure iur. l. ij. C. de edend. Et extat exemplum Imperatoris, quām diligenter animū intenderit ad inuestigandam ueri- tate, in l. Aemylius Larianus. ff. de minor. Rursus ſequitur.

Eius quod in quæstione positum est: Res certa, nullam exigit deliberationem, sed pronam uoluntatem excendi ac tribuendi cuiq; ius suum semper & ubique. Verum de his consultandum est, quæ nos obiter latent, & in errorem perducerent, nisi diligentioribus animi censuris expenderentur. Deniq; habet definitio,

Solenniter exhibita. Quanto enim grauius est negotium, cuius incidit dubitatio: tanto maiorem adhiberi oportet solennitatem ac diligentiam. Solennitas autem consultationis publicæ, de qua præcipue loquimur, consistit in forma illius, ut sequitur.

### DE FORMA, ET FINE consultationis.

**F**orma ueræ consultationis, & non simulatae uersatur in multis.

I. Vocandi sunt illi, quos iure uocari oportet: ut plurimum diligens admonitio & cogitatio suggestat subsidium inuestigandæ ueritati. Incredibile enim dictu est, quantum opere alteri nonnunquam materiam cogitandi suppeditet sententia & admonitio alterius. Promittit D E V S sese adfuturum duobus uel tribus in nomine suo congregatis.

Verè dici solet, Vnus uir, nullus uir. Et Euripides, Vir unus ( inquit ) haud uidet omnia. Salutem ( ait Salomon ) adferunt multi consultores. Inde enim consilia Comitia & Concilia, quibus nunc utimur dicta sunt: quòd legitime uocati tractant grandia cum deliberatione.

Traiani Adrianiq; optimorum Imperatorum temporibus & antiquis illis seculis, optimum morem fuisse tradit Spartianus. Nam cum causas cognoscebant grauiores, aut de re publica deliberabatur: Senatores equitesq; Romani

Romani in consilium adhiberi, & sententiae ex omnium opinione ferri solebant.

Alexander Cæsar nunquam satis laudatus, numerosissimum semper consilium secum habuit, in quo iuris consultos adhibuit non pauciores quam uiginti. Quæ omnia reluent ex l. si & rem. ff. de peti. hæred. Nam (inquit Paulus) & in oratione divi Adriani, ita est. Discipite patres conscripti, nunquid æquum sit. Hoc est, oculis animi quoquo uersus intentis iudicate.

II. Ad formam consultationis pertinet, ut in ea ratio sola regnet, non affectus, non adulatio. Ut enim certa sunt signa certantibus: ita scopum rationis esse oportet certum, ad quem dirigatur consultatio. Projecto qui affectum in consultationibus sequitur, is non potest non impingere. Coruos enim cum pueris sequitur, incertus semper de exitu.

Sæpe enim prima facie adparet utile, quod inutile est, si ad ueritatis normam exigatur. l. cum unus, in princ. ff. de alim. & cib. leg. Nouell. dc temp. act. quæ sacr. loc. compet. in princ. Constit. cxj. Et Cicero: Optimè cogitata (inquit) sæpe malecedunt. Deliberandum igitur est diu ac diligenter, quod statuendum est semel. Siquidem utiliter deliberare, mora est omnium tutissima. Quam diligenter autem Romani olim omnia consultauerint mature, satis ostendit eorum politia, quam posteritati transmisserunt descriptam int. ij. ff. de orig. iur.

III. In consultationibus non est estimanda maior pars personarum, sed grauitas rationum, c. ecclesia uestra, de electio. c. non liceat. distin. xij. Et distin. lx. c. multi. Papinianus, l. iurisgentium. §. fin. & l. seq. ff. de pact. Maiorem esse partem (inquit) pro modo debiti, non pro numero personarum placuit. Grauiter Iustinianus, l. j. §. cumq; hæc

materia. C. de ueteri.iure enucl. Sed neq; (inquit) ex multitudine autorum , quod melius & æquius est, iudicatore: cum possit unius forsitan & deterioris sententia , & multos & maiores in aliqua parte superare. Accedit l. ob carmen,in fi. ff. de testib. Non enim (ait Arcadius) ad multitudinem respici oportet, sed ad synceram testimoniorum fidem, & testimonia, quibus potius lux ueritatis adfisilit.

Ponderandæ profecto non numerandæ sunt in consilijs sententiæ. Cum enim sit impar consultorum prudentia & eruditio: non potest par omnium ius esse. Ne si forte de eo tractetur , quod ex pari omnium autoritate dependet. c. j. de his que fi. à maio.par. cap. Instit. de satisda.tuto. §. Sed si ex test. Et, distin. lxij.c.plebs.

In summa: Consultoribus credendum est , sicut ex iure quoq; respondentibus : non quia dixerunt , sed quia recte dixerunt.c.noli frater. & c.ego solis.distinct. ix.

1111. Ad formam consultationis cum primis exigitur, ut libere dicantur sententiæ. Quia in re Tranquillus commendat Octauium Augustum, quod de maiori negotio, non more atq; ordine, sed uti libuisse, perrogaret : ut perinde quisque animum intenderet, ac si censendum magis, quam adsentendum esset.

Ex diuerso. Plinius in Panegyrico repræhendens peccatum Domitiani Cæsaris morem: At quis (ait) antea loqui , quis hiscere audebat, præter miseros illos, qui primi interrogabantur. Cæteri quidem defixi, & attoniti, ipsam illam mutam ac sedentariam necessitatem, quo cum dolore animi, quo cum totius corporis horrore perpetiebantur unus solusq; censebat, quod sequerentur, & omnes improbarent, in primis ipse qui censuerat.

Quemadmodum igitur princeps uel Magistratus , qui præcepit

præfet consultationibus, patienter audire debet singulorū cogitationes & sententias, nec adfici tædio aut molestia discutiendi ea, quæ si non deliberarentur, summam essent adlatura perniciem: Ita uicissim consultores adulatioinem uelut præsentissimum uenenum fugere oportet: nec meditari qui placeat, sed quid expediat auditoribus uel magistratibus, quid rectum & utile putauerint.

De adulatioне glossa est non inconcinna Distin. xxv. c. unum orarium. Et Cicero suis eam pennis egregie depingit in Lælio. Causam adulatioни duplēm esse constat, Ambitionem, & Vindictam. Vtriusque facilitas & inconstans, procul abesse debet à pijs consultoribus.

Optimus Imperator Traianus, cū præfecto prætorio ensem, illius Magistratus insigne tradidisset: Accipe (inquit) hūc ensem, ut si bene ac ē republica imperauero, prome: sin minus, cōtra me utaris. Et ò dignā uocē maiestate regnatis, adeoq; ipso imperio maiore. l. digna uox. C. de legi.

Tyberius Cæsar Augustus, cūm olim edicto suo uerbū apud Latinos non receptum inscripsisset, eiusq; recordatio principi subiisset, Grammaticos conuocauit, inter quos Pomponius uerbum ingenuè reprehendit: Capito adfirmavit, & esse illud Latinum: & si non esset, futurum certe iam inde, & ciuitatem in gratiam Cæsaris id uerbum inter antiqua relaturum. Tum Pomponius grammaticus ad Tyberium conuersus, Mentitur Capito, (inquit) Tu enim Cæsar ciuitatem dare potes hominibus, uerba, & Latine lingue usum dare non potes.

Hæc tam præclara exempla & reipublicæ utilia imitari oportet, tam principes & magistratus, quam consultores. Tum enim D E V S intentioni illorum honestæ aderit, & benedictione sua fœlicem dabit exitum.

*Finis cōsultationū est, ut inuestigetur, quomodo restituī possit, quod luxatum fuerit: ut conseruetur id, quod rectē habet: ut deniq; imminētia uitētur aut mitigētur pericula.*

*Cūm autē ad aliū usum torquētur: ut porrō prætextus sint affectus exequendi: tunc in summā degenerant pestē. Cicero pro Rosc. Dij prohibeant (inquit) iudices, ut hoc quod maiores consilium publicum uocari uoluerunt, præsidium sectorum existimetur, hoc est, eorum, qui spe lucris sui bona damnatorum olim emebant in auctionibus.*

*Proinde mos uetusissimus à D E O opt. max. orbi donatus, diligentissime retinendus & exercendus est ad illius gloriam & hominum utilitatem.*

DIXI.

# INDEX TITVLO-

## RVM AD TOTAM OPE-

ris materiam deser-  
uiens.

<b>Q</b> uid sit locus.	pag. 5	A' confessione.	34
<b>Q</b> uibus causis		A' tormentis.	34
et quotuplices sint loci.	13	A' conjectura, seu præsum-	
Loci externi ad probatio-		nem factorum utiles.	35. C' 256
<b>A'</b> testibus.	25	A' more.	36
<b>A'</b> instrumentis.	29	A' opinione.	39
<b>A'</b> iureiurando.	31	A' natura.	40
<b>A'</b> cōparatione literarū.	32	A' qualitate rei uel perso-	
<b>A'</b> nō.		næ.	41
<b>A'</b> fama.	32	A' tempore.	43
<b>A'</b> evidentia facti.	33	A' loco.	44
		<b>A'</b> sig	

I N D E X.

A <sup>1</sup> signis.	46	A <sup>1</sup> causa efficiente.	130
De plena & semiplena pro- batione facti.	48	A <sup>1</sup> causa materiali.	132
Singularia de semiplena pro- batione.	51	A <sup>1</sup> causa formalis.	134
Loci interni ad demonstra- tionem iuris, in quolibet negotio deseruientes.	53	A <sup>1</sup> causa finali.	136
Ab autoritate, Exempla ta- citarum conditionum.	53	Ab effectis seu eventis.	141
De infractionibus argumen- tationum.	64	A <sup>1</sup> genere.	144
Ab honesto & utili.	71	De toto.	153
A <sup>1</sup> necessario.	78	A <sup>1</sup> toto generaliter.	153
Ab impossibili.	79	A <sup>1</sup> toto integrali.	157
Ab experientia.	81	A <sup>1</sup> toto quantitatis.	158
Ab inconuenienti seu ab- surdo.	82	A <sup>1</sup> toto uniuersali.	160
A <sup>1</sup> ratione.	86	A <sup>1</sup> toto in modo.	161
A <sup>1</sup> definitione.	88	A <sup>1</sup> parte.	162
Ab etymologia.	91	A <sup>1</sup> partibus integralib.	163
A <sup>1</sup> coniugatis seu deriu- atis.	95	A <sup>1</sup> partibus quantitatis.	164
A <sup>1</sup> connexis.	98	A <sup>1</sup> partibus subiectiuis.	166
A <sup>1</sup> correlatiuis.	102	A <sup>1</sup> partibus in modo.	167
Ab antecedente & conse- quenti.	107	Ab exceptione.	167
A <sup>1</sup> differentibus.	112	A <sup>1</sup> scripto.	169
A <sup>1</sup> contrarijs.	114	A <sup>1</sup> sententia.	171
De causis.	123	A <sup>1</sup> ordine.	178
A <sup>1</sup> causa generaliter.	124	A <sup>1</sup> subiecta materia.	181
		Ab extremis.	182
		Ab exemplis.	183
		A <sup>1</sup> comparatione.	183
		A <sup>1</sup> maiori.	187
		A <sup>1</sup> minori.	188
		A <sup>1</sup> simili uel pari.	189
		Exempla similium.	194
		A <sup>1</sup> iudice, ad arbitrum.	194
		A <sup>1</sup> iudicijs, ad ultimam uo- luntate.	

I N D E X.

- |   |     |  |
|---|-----|--|
| <i>lunitatem, uel contra.</i>               | 195 | <i>Ab institutoria actione, ad ne-</i>     |
| <i>A<i>'</i>iudicijs, ad cōtractus.</i>     | 196 | <i>gotiorum gestorum.</i> 205              |
| <i>A<i>'</i>sententia iudicis, ad te-</i>   |     | <i>A<i>'</i>petitione h̄ereditatis, ad</i> |
| <i>stamentum.</i>                           | 197 | <i>rei uindicationem.</i> 205              |
| <i>A<i>'</i>transactione, ad rem iu-</i>    |     | <i>A<i>'</i>commodato, ad preca-</i>       |
| <i>dicatam.</i>                             | 197 | <i>rium.</i> 205                           |
| <i>Ab appellatione iudiciali,</i>           |     | <i>A<i>'</i>legatis, ad fideicom-</i>      |
| <i>ad dationem arbitri.</i>                 | 197 | <i>missa.</i> 207                          |
| <i>Ab œconomia ad iudicia.</i>              |     | <i>A<i>'</i>falcidia, ad trebelli.</i> 207 |
|   | 198 | <i>A<i>'</i>bonorū possessione con-</i>    |
| <i>A<i>'</i>transactione causarum</i>       |     | <i>tra tabulas, ad Carbo-</i>              |
| <i>forensum, ad docēdi fun-</i>             |     | <i>nianam bonorum posses-</i>              |
| <i>ctionem.</i>                             | 198 | <i>sionem.</i> 208                         |
| <i>Ab armata militia, ad cœle-</i>          |     | <i>A<i>'</i>mortis causa donatione,</i>    |
| <i>stē &amp; togatā militiā.</i>            | 198 | <i>ad legatum.</i> 208                     |
| <i>A<i>'</i>cōtractibus ad ultimam</i>      |     | <i>A<i>'</i>fideiuſione, ad pigno-</i>     |
| <i>uolūtatem: &amp; cōtra.</i>              | 199 | <i>ratiōnem.</i> 208                       |
| <i>A<i>'</i>contractibus, ad quasi</i>      |     | <i>A<i>'</i>donatione, ad pignora-</i>     |
| <i>contractus.</i>                          | 201 | <i>tionem.</i> 208                         |
| <i>A<i>'</i>contractibus ad delicta:</i>    |     | <i>A<i>'</i>societate, ad matrimo-</i>     |
| <i>uel contra.</i>                          | 201 | <i>nium.</i> 209                           |
| <i>A<i>'</i>persona, ad locum.</i>          | 202 | <i>A<i>'</i>lege, ad testatorem.</i> 209   |
| <i>A<i>'</i>persona, ad res: &amp; con-</i> |     | <i>Ab œconomia, ad negotia</i>             |
| <i>tra.</i>                                 | 202 | <i>forēſia, et Ecclesiast.</i> 209         |
| <i>A<i>'</i>persona, ad tempus.</i>         | 202 | <i>A<i>'</i>ſeipſo, ad alium.</i> 210      |
| <i>A<i>'</i>re, ad tempus.</i>              | 203 | <i>Ab adquisitione, ad reten-</i>          |
| <i>A<i>'</i>tempore, ad locum.</i>          | 203 | <i>tionem.</i> 210                         |
| <i>A<i>'</i>feudo, ad emphyteuſim.</i>      |     | <i>A<i>'</i>dominio, ad posſeſſ.</i> 211   |
|   | 204 | <i>A<i>'</i>dote, ad donationē pro-</i>    |
| <i>Ab emphyteuſi, ad censum.</i>            |     | <i>per nuptias.</i> 211                    |
|   | 204 | <i>A<i>'</i>rei uindicatione, ad peti-</i> |
|   |     | <i>tionem.</i>                             |

I N D E X.

tionem hæreditatis.	212	De enthyemmate.	225
<i>Ab instrumentis, ad testes;</i>		De inductione.	228
<i>&amp; contra.</i>	212	De exemplo.	228
<i>A' thesauro, ad arbores.</i>	212	De dilemmate.	229
<i>A' pacto, ad usucaption.</i>	213	De uitiosis argumentat.	229
<i>A' filiofamil, ad fid: ius.</i>	213	De æquiuocatione.	231
<i>A' solutione, ad pacitū.</i>	213	De amphibologia.	233
<i>A' seruitute rerum, ad ser- uitutem personarum.</i>	214	De compositione.	235
<i>A' seruo, ad liberum.</i>	214	De diuisione.	235
<i>A' nuptijs, ad sponsalia.</i>	214	De figura dictiōnis & ac- centu.	236
<i>A' ciuibib⁹ actionibus, ad &amp; dilitias.</i>	215	Fallaciæ rerum.	243
<i>A' pactis, ad statuta uel le- gem.</i>	215	De fallacia accidentis.	244
<i>A' casu fortuito, ad euentum mortis.</i>	216	<i>A' dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.</i>	247
<i>A' statutis uel legibus, ad pacta.</i>	217	Secundum non causam, ut causam.	249
<i>Ab ecclesia, ad rem pub.</i>	217	De fallacia cōsequētis.	249
<i>Ab eo quod perperā fit, ad id quod factū non est.</i>	218	Secundū plures proposi.	250
<i>Ab illata uiolentia, ad ini- quum iudicem.</i>	219	Petitio principij.	251
<i>De argumētat. formulis.</i>	219	Ignoratio Elenchi.	252
<i>De Syllogismo.</i>	220	De infractionib. uel solut. ar- gumentorū cōmunib.	254
<i>Exempla primæ figuræ.</i>	220	De inficiatione.	254
<i>Exempla secundæ figuræ.</i>	221	De distinctione.	254
<i>Exempla tertiae figuræ.</i>	222	De instantia.	256
<i>Singularia de formulis ar- gumentationum.</i>	223	De consultatione.	292
		Quid & quotplex sit con- sultatio.	292
		De forma & fine consulta- tionis.	294

I N D

# INDEX DICTO- RVM INSIGNIVM.

## A

- A**rgumentorum loci uel sedes per metaphora dicuntur elegatē. pag. 6  
Ars boni & aequi quid sit. 7  
Arti boni & aequi deseruit disputatio sobria. ibid.  
Ars mala quid sit. 9  
Abigēdi studium, quasi artem uocat Vlpianus, l. j. §. j. ff. de abig.
- Absurdorū comparatio.** 84  
**Argumentatio falsa filiae hæredis.** 97  
**Argumentum à contrarijs ex rebus non ex uerbis cognoscendum.** 122  
**Appellatum aliquid uerbo tenus esse, ex re intelligendum ciuiliter.** 132  
**Apostiopesis, Reticētia.** 241

## B

- Artificium fraudandi nuncupat Modestinus. l. Spadonem. quoque. §. si quis creabitur. ff. de excu.tut.  
Arti malæ quid deseruiat. 9  
Apocha, Antipocha, quid sit. 29  
Articulorum forma unde cœperit. 34  
Autoritas quid sit. 33  
Autoritas duplex. ibid.  
Autoritas interpretum publicè data, effectum non habet publicum. 35  
Aequitas maior, uincit minorem. 77  
Absurdum quid sit. 81
- Beneficia militaria, compensationem ad bona uulgaria repudiant.** 67  
**Bonorum appellatio, non comprehendit beneficia militaria.** 70  
**Beneficia regalia hodie quoque non diuiduntur.** 101  
**Bonorum beneficiariorum, & bonorum uulgarium magna est differen. Vide Successio.** 126

## C

- Controuersiam, nullæ res humanæ effugiunt.** 3  
**Consultatio quid sit.** 4  
**Chirographum quid sit.** 29  
**Cond**

I N D E X.

- Conditionum tacitarū quæ omnibus humanis actionibus insunt, exempla. 59
- Consultationis pars est, collatio absurdorum. 86
- Coniugata quæ dicātur. 95
- Contraria quæ sint. 114
- Contraria mediate: contraria immediate. ibid.
- Contraria quotuplicia sint diuersis rationibus. 114.
- >Error, et ignorātia in multis conueniunt et differunt. Vide, Ignorantia.
- Causæ rerum quotuplices sint. 123
- Consultando oportet finem inspicere. 137
- Consultationis omisæ merces est, non putaram. 137
- Consultationem contemnetes, stultorum magistro sese subjiciunt. Vide Stultorum. ibid.
- Comparatio quomodo fiat. 186
- Cōparatio nōnunquā fit inter res separatisim. 191
- D
- Disputatio. Vide ars. 7
- Definitio qd et quotupl. 88
- Definitio uitiosa quomodo cognoscatur. 89. Et 90
- Differētia quæ dicātur. 112
- Divinare plerūq; est impossibile. 140
- Dolus est duplex. 144
- Divisione beneficiorum regalium prohibita, omnibus eorum lacerationibus interdicitur. 148
- E
- Error, et ignorātia in multis conueniunt et differunt. Vide, Ignorantia.
- Evidentia, quid sit. 33
- Experientia quid. 81
- Expertis rusticis credēdum est. 82
- Effectus, singularis quædam significatio. 141
- Exitus aliquando frustra disputatur. 143
- Extremum in rebus. 182
- Exempla non ita multa uitiorum, occasionē dederrunt Romanis ad legislationem, qua malum antuerterent. 185
- Nunc lerna malorum quotidie incidentium nostros magistr

I N D E X.

<i>magistratus ad legitimas probationes non mouet. Endyadis.</i>	241	<i>pro specie.</i>	143
		<i>Genus s̄epe pro toto seu re maiore: species pro par te uel re minore. Vide in- stit.de iur.natur.gent. &amp; ciuil. § conſtat autem.</i>	
<b>F</b>			
<i>Forensis disputatio ius est.</i>	8		
<i>Fama quid sit.</i>	32		
<i>Formula, potest &amp; locus censeri.</i>	107	<i>Generalis sermo ad sensum iuris est reſtringēdus.</i>	149
<i>Filia est, ergo hæres est:iu- ris intellectum habet.</i>	111		
<i>Forma non ſolum dat, ſed etiam cōſeruat eſſentiam rei. Vide materia.</i>	135	<i>Hominis natura pefſimi in- dicia.</i>	42
<i>Figurarum ſpecies.</i>	235	<i>Hominis uera definitio.</i>	88
<i>Fallaciæ rerum pernicio- ſiſimæ.</i>	243	<i>Hæreditarium non ſemper debetur hæredi.</i>	97
<i>Figure loquendi in iure, ma- ximam uim habent.</i>	237	<i>Hæres non ſemper habet omnia defuncti bona.</i>	111
<i>Adde ἐμφασιν, emphaſin, exprefſionē, ſignificatio- nem, ſeu demonstrationē, figurā omnium frequen- tiſiſimam, quando latens aliquid ſub uerbo uel ora- tione cernendū eſt. Maio- rem enim uim plerunque obſeruare in dictis iuriſ- consultorū oportet, quā à frōte uerba præſeferūt.</i>		<i>Hæreditatis petitio uulga- ris, minimē gentium ad- mittit beneficiaria bona, præſertim regalia. Vide Successio.</i>	126
		<i>Hyperbole.</i>	242
<b>G</b>			
<i>Genus frequenter in iure</i>			
		<i>Iuris disciplina ſeu pruden- tia interdū recedit à dia- lecticis præceptis.</i>	12
		<i>Inuentio prior eſſe debet, poſterior editio uel diſpo- ſitio.</i>	13
		<i>Ignorantia, error, menda- cium, ſimulatio cognata ſunt</i>	

I N D E X.

- |   |       |  |     |
|---|-------|--|-----|
| sunt homini.  | 14    | Locus quid sit.  | 5   |
| Ignorantia & error pro-<br>miscue accipiuntur.  | ibid. | Loci habent instar Delphici<br>gladij.   | 7   |
| Ignorantia quid, & quotu-<br>plex sit.  | 15    | Loci duplices, facti & iuris.  |     |
| Iuris ignorantia quos ex-<br>cuset.   | 16    | Loci externi qui sint.   | 21  |
| Iuris prudentiae ac philo-<br>phiae uerae exemplum.   | 22    | Loci interni qui sint.   | 22  |
| Instrumenti appellatione,   |       | Loci plures sæpe sunt in una<br>oratione.  | 23  |
| que contineantur.   | 29    | Loci externi non carent ar-  |     |
| Iuris iurandi plena est pro-<br>batio.  | 31    | te boni & æqui.  | 23  |
| Interpretatio uera. l. j. ff. de<br>reg. iuris.   | 64    | Literarum comparatio quid<br>sit.  | 32  |
| Impossibilitas duplex.  | 79    | Locus naturalis quid sit.  | 44  |
| Iurisperitus cupressum sem-<br>per depingens, imperito<br>medico simulis est.                           | 113   | Locus uicinus quis dicatur.  |     |
| In creditum ire.  | 146   | Legum conciliandarum mo-   |     |
| Iuris consulti non possunt al-<br>ligari ad proprietatem,<br>quasi ad seruitutem quan-<br>dam uerborum. | 151   | dus.   | 58  |
| Iuris consulti olim prudenti-<br>si-<br>de alijs hoc tempore?   | 192   | Lex ij. ff. si cert. petat. uero<br>Lex j. ff. de iustit. & iur. ab<br>errore vindicata. | 92  |
| Ironia.   | 243   | Legis, Cuius effectus. ff. de<br>reg. iuris. uera interpre-<br>tatio.                    | 93  |
| Liptote, defectiu.  | 242   | Locorum, à scripto, & à sen-   |     |
|   |       | tentia conciliatio.  | 173 |

L

M

- |                    |     |                        |     |
|--------------------|-----|------------------------|-----|
| Liptote, defectiu. | 242 | Mos duplēm exhibet lo- |     |
|                    |     | u                      | cum |

I N D E X.

- cum probandi. 36 Materia mutata , manente  
Mos in malam s̄epe partem forma, manet eadem res.  
degenerans, nullā suppe- Vide forma. 135  
ditat argumētandi ratio-  
nem. Est enim τὸ μέτρον  
uocabulum. Vnde dici so-  
let Tyrannus : quòd uel  
inuitis nobis multa intro-  
ducat uitia.l. Saccularij. ff.  
de extraordi. criminib. l.  
Non solum is. §. ego au-  
tem. & l.apud labeonem.  
§. sed quod adiicitur. ff. de  
iniuri. Vbi licet animad-  
uertere, quòd Tyrannus  
mos corruperit hodie le-  
uem in nuptam coercitione-  
m. Hæc pro infractio-  
ne loci à More obserua.  
Alioquin mos bonus , est  
institutum, quod à maio-  
ribus quasi per manus ad  
cerimoniam aliquam per-  
tinens, accepimus.  
Mentiens , natura mutat  
uultum. 40 Omnes populi utuntur du-  
plici iure: scilicet, qui legi-  
bus & moribus regun-  
tur. ff. de iustit. & iur.  
Mutatio legum , aliquando  
necessaria est 66 Ordo pro solennitate. 178  
Mutatis legibus etiam uti-  
mur , quod tenus ad ratio-  
nes earum attinet. 67 Ordinem non seruare non-  
nunquam est ordo. 179  
Priuata scriptura s̄epe sup-  
pletur. 30 P  
Præ

I N D E X.

Præsumptio quid sit.	35	S
Præsumptioni quando non est locus.	36	Sophisma quid sit. 9 Subtilitas uitiosa semper ui- tanda est. 9
Præsumptio an necessario, et quatenus probet, quo- modo cognoscendum sit.	50	Subtilitas fraudulenta, oppo- nitur simplicitati. 10
Præsumptionis effectus.	51	Topices legalis quid sit. 11
Probatio semiplena quæ- nam sit.	51	Scriptum iudicis potest re- probari. 30
Probationē admouere quid sit.	99	Successio in bonis beneficia- rijs, longè distat à succe- sione in bonis uulgaribus, quæ paganica uulgo di- cunt. Vide hæreditatis pe- titio. 127
Principijs uitiorum obstat oportet.	124	
<b>Q</b>		
Questio, et controuersia duplex.	18	Sententia unius sepe uincit ratione sententiam mul- torum. 69
Questionem facti oportet esse priorem: questionem iuris posteriorem.	20	Stultorum magister Exitus. 137
<b>R</b>		
Rumor quid sit.	33	Subiectio adfinis est enume- rationi partium. 132
Ratio legis, et uoluntas le- gis æquiparantur.	55	Subiectio quid sit. ibid.
In homine diuersum est. Ari- stoteles in Ethic. Ideo non concedimus (inquit) ut ho- mo imperet, sed ratio.		Successio foeminea in totum, non potest torqueri ad successione in partem. 136
Nam homo hoc sibi tri- buit, et fit Tyrannus.		Signorum definitio. 46
Ratio est anima legis.	87	Signa quantam uim habeat. 47
		Similitudo quid sit. 189
		Similitudo trifariam colligi-

I N D E X.

tur.	190	bationem. Vide Præsum-
Similitudinem magni olim		ptio.
Iurisconsulti non bene iu-		35
dicarunt.	194	Vtilitatis honestæ appella-
T		tiones uarie. 71. & 72
Testis unde dicatur.	26	Vtilitas publica præfertur
Testes omni exceptione ma-		priuatæ. 76
iores qui dicantur.	26	Vtile uitiatur per inutile. 99
Interrogatoria aduersario-		Veritas omnibus amicis est
rum testimoniū unde sumen-		præferenda.
da.	26	Veritatē Celsus filius pa-
Testimoniū examinatio temere		tri suo prætulit, sicut vl-
nunc mandatur alijs.	26	pianus testatur liij. §. sed
Testimonij non facile cre-		& si seruus .ff. de condi-
dendum est.	27	cōdīcio. caus. dat. Et refert
Testis dictum unde præci-		(inquit) patrem suum Cel-
puē posse eleuari.	28	sum existimasse, repe-
Testamentum unde dicatur		re eum non posse. Sed ipse
secundū etymologiam. 95		Celsus naturali æquitate
Tutela, munus est publicum,		motus putat repeti posse.
154		Quæ sententia uerior
Totū quantitatis duplex. 158		est.
Totū uniuersale duplex. 160		Vniuersalis enuntiatio tra-
Translatio, metaphora. 237		henda est ad iuris sensum.
Tempus quid sit.	43	Vnde etiam Rapiendi
Temporis obseruatio ad cō-		uerbo utitur. l. Rapienda.
sultationem pertinet.	43	ff. de reg. iur.
Testis unus aliquando facit		Vniuersaliter aliqua fiunt,
plenam probationem. 49		que particulariter fieri
V		non possunt.
Verisimilia adiuuant pro-		157
		Verborum & rerum signi-
		ficatio quid sit.
		175

R E G

REGVLAE PRAESVMPTIO-  
num, seu Coniecturarum.

Prior numerus folia, posterior capita designat.

A

Adfectus.	258.4	Creditor.	271. 94
Argumentum.	259.8	Confiteri.	273. 116
Allegatio.	261.21	Confiteri.	273. 117
Ambitio.	267.67	Cognatus.	273. 120
Adfectus.	269.75	Consuetudo.	274.123
Alienatio.	270.86	Confessio.	274.126
Adulatio.	273.113	Contrarietas.	275.128
Ambiguum.	274.125	Chirographum.	275.130
Accessorium.	278.154	Consuetudo.	276.134
Aequitas.	278.157	Copula.	276.136

B

		Certum.	276.140
Bonus.	267.60	Chirographum.	277.147
Bellum.	272.100	Cautio.	277.150
Bona.	272.108	Confessio.	279.161
Bonus.	280.169	Conductor.	280.166
Bonum.	281.173		D

C

		Delatio.	258.5
Confirmatio.	259.10	Debitor.	261.26
Circunstantia.	259.11	Delictum.	254.40
Contractus.	263.38	Dolus.	264.43
Consuetudo.	263.39	Dolus.	265.46
Contractus.	266.54	Dilatio.	265.47
Coniuges.	266.55	Deletum.	265.48
Cessio.	266.57	Dos.	268.71
Conuitia.	269.78	Donatio.	269.77
Cancellatio.	270.91	Dos.	271. 98

I N D E X.

<b>Detentio.</b>	276. 141	<b>Iudex.</b>	265. 50
<b>Debitum.</b>	277. 144	<b>Ignorantia.</b>	266. 59
<b>Debitor.</b>	279. 160	<b>Idoneus.</b>	268
<b>Donatio.</b>	279. 162	<b>Non idoneus.</b>	269. 74
<b>Damnare.</b>	281. 177	<b>Instrumentum.</b>	271. 96
E			
<b>Exhereditatus.</b>	270. 83	<b>Incendia.</b>	272. 103
<b>Extraneus.</b>	270. 87	<b>Iactura.</b>	272. 105
<b>Expressum.</b>	271. 109	<b>Inuentarium.</b>	172. 110
<b>Diligens.</b>	278. 166	<b>Inclinatio.</b>	273. 114
F			
<b>Frequentia.</b>	260. 12	<b>Iactura.</b>	277. 145
<b>Falsarius.</b>	268. 67	<b>Iactura.</b>	280. 170
<b>Frater.</b>	268. 70	L	
<b>Filius.</b>	271. 93	<b>Lex.</b>	259. 7
<b>Furiosus.</b>	271. 97	<b>Lex.</b>	260. 15
<b>Finitum.</b>	276. 140	<b>Lex.</b>	266. 53
<b>Factum.</b>	278. 135	<b>Liber.</b>	270. 88
<b>Fideiussor.</b>	280. 163	<b>Litigator.</b>	276. 137
G			
<b>Grauat.</b>	260. 16	<b>Legatum.</b>	279. 163
H			
<b>Hæres.</b>	265. 44	<b>Mala fides.</b>	261. 24
<b>Habitus.</b>	265. 49	<b>Minor, Mulier.</b>	263. 33
<b>Hæres.</b>	270. 84	<b>Mendacium.</b>	264. 41
I			
<b>Incredibile.</b>	261. 20	<b>Mala fides.</b>	264. 42
<b>Ius singulare.</b>	262. 32	<b>Metus.</b>	264. 43
<b>juramentum.</b>	263. 34	<b>Mulier.</b>	268. 58
<b>Instrumentum.</b>	265. 35	<b>Mulius.</b>	267. 61
<b>Intestatus.</b>	264. 37	<b>Mens sana.</b>	267. 64
M			
		<b>Miles.</b>	268. 68
		<b>Metus.</b>	

# I N D E X.

<i>Metus.</i>	269. 81	<i>Perfectio.</i>	275. 131
<i>Mulier.</i>	270. 92	<i>Pignus.</i>	276. 138
<i>Masculus.</i>	271. 101	<i>Possessio.</i>	277. 142
<i>Mendacium.</i>	272. 104	<i>Præfatio.</i>	277. 149
<i>Masculus.</i>	278. 158	<i>Possessio.</i>	279. 159
<i>Malefactum.</i>	281. 173	<i>Præsumptio.</i>	281. 171
<b>N</b>		<i>Petitio.</i>	281. 179
<i>Natura.</i>	266. 51	<b>R</b>	
<i>Natiuitas.</i>	269. 79	<i>Reus.</i>	277. 151
<i>Natio.</i>	270. 89	<b>S</b>	
<i>Naufragium.</i>	271. 99	<i>Salus.</i>	258. 6
<i>Negotium.</i>	273. 112	<i>Specialis.</i>	261. 22
<i>Negare.</i>	281. 173	<i>Scriptum.</i>	261. 27
<b>O</b>		<i>Scripta.</i>	262. 29
<i>Officium.</i>	265. 45	<i>Scriptum.</i>	262. 30
<i>Ordo.</i>	274. 121	<i>Subornatio.</i>	268. 72
<i>Officium.</i>	278. 153	<i>Suspectus.</i>	269. 80
<b>P</b>		<i>Sententia.</i>	269. 82
<i>Præsumptio.</i>	258. 3	<i>Sententia.</i>	269. 83
<i>Plures.</i>	259. 9	<i>Studium.</i>	273. 115
<i>Probatio,</i>	260. 13	<i>Socius.</i>	274. 122
<i>Probatio.</i>	260. 18	<i>Stipulatio.</i>	276. 135
<i>Præsentia.</i>	260. 19	<i>Stipulatio.</i>	276. 139
<i>Præsens.</i>	261. 23	<i>Solutio.</i>	277. 143
<i>Probatio.</i>	261. 26	<i>Studioſus.</i>	277. 146
<i>Pactio.</i>	264. 38	<i>Simplicitas.</i>	278. 155
<i>Publicanus.</i>	267. 62	<i>Scientia.</i>	280. 168
<i>Pater.</i>	268. 69	<i>Salus.</i>	281. 172
<i>Pater.</i>	272. 102	<i>Solemnitas.</i>	281. 175
<i>Præfens.</i>	272. 107	<b>T</b>	
<i>Possessio.</i>	274. 127	<i>Transfert.</i>	260. 14
			<i>Temp</i>

## I N D E X.

<b>Tempus.</b>	260. 17	V
<b>Tacens.</b>	261. 25	Veritas. 262. 31
<b>Testatus.</b>	263. 36	Viuere. 267. 63
<b>Testamentum.</b>	264. 38	Voluntas. 267. 65
<b>Testator.</b>	266. 32	Vsura. 270. 90
<b>Tutor.</b>	266. 56	Vicinus. 273. 118
<b>Tempus.</b>	271. 93	Vindicta. 274. 124
<b>Tacens.</b>	273. 119	Vsura. 277. 148
<b>Tabellio.</b>	275. 132	Voluntas. 279. 164
<b>Transactio.</b>	275. 133	Veritas. 280. 167
<b>Testis.</b>	278. 152	FINIS.


## S E N E C A.





Stet quicunque uolet potens  
 Aulæ culmine lubrico,  
 Me dulcis saturet quies.  
 Obscuro positus loco,  
 Leni perfruar ocio,  
 Nullis nota Quiritibus  
 Actas per tacitum fluat.  
 Sic cum transferint mei  
 Nullo cum strepitu dies,  
 Plebeius moriar senex.  
 Illi mors grauis incubat,  
 Qui notus nimis omnibus,  
 Ignotus moritur sibi.

S O L I   C H R I S T O   D E O  
 S E R V A T O R I   N O S T R O  
 G L O R I A .

Emptus est biturigib. Gallorum  
 ——————  
 in moneta ura — 14 — 18  
 ——————









[www.books2ebooks.eu](http://www.books2ebooks.eu)